



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

Liber Septimus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12945**

M. FAB. QUINTILIANA  
DE  
INSTITUTIONE ORATORIA  
LIBER SEPTIMUS.

*Praefatio de dispositionis utilitate.*

**I** **D**E inventione (ut arbitror) satis dictum est. Neque enim ea demum quæ ad docendum pertinent, executi sumus, <sup>1</sup> verumetiam motus animorum tractavimus. <sup>2</sup> Sed ut opera extruentibus satis non est, saxa atque materiam, & cætera ædificanti utilia congerere, nisi disponendis iis collocandisque artificum manus adhibeatur: sic in dicendo qualibet abundans rerum copia cumulum tantum habeat atque congestum, nisi illas easdem <sup>3</sup> *dispositio* in ordinem digestas, atque inter se commissas devinixerit. Nec immerito secunda quinque partium posita est, cum sine ea prior nihil valeat. Neque enim, quanquam fuis omnibus membris, statua sit, nisi collocetur: & si quam in corporibus nostris aliorumve animalium partem permutes atque transferas, licet habeat eadem omnia,

**T**otus hic liber attribuitur *dispositioni*: cum tamen lib. 3. de generis *demonstrativi & deliberativi* dispositione dixerit, hoc libro agit de dispositione generis *judicialis*, docetque quis esse debeat ordo *propositionum, questionum, & capitum*, sed cum unusquisque status proprios habeat locos & propria capita, idcirco de singulis statibus fuit agendum. *Turneb.* Quædam capitum præscriptio de divisione seu *parenthesi*, quod verbum exponitur à Turnebo l. 12. c. xi. Attamen in textu Quintiliani non potnit reperire. Pro hoc 7. lib. vide Sulpitii institutiones.

<sup>1</sup> *Verumetiam motus animorum.*] Atque ita Ciceronem est sequutus Fabius,

qui *inventionem* in duas partes divisit, *fidem & motum.* *Turneb.*

<sup>2</sup> *Sed ut opera, &c.*] Similitudo est ducta ab *architectura*: cæterum ita est accipiendum, *inventionem* esse quasi vice materiæ, *dispositionem* vice formæ: *materia* per se est indigesta, sed à *forma* expolitur. *Idem.*

<sup>3</sup> *Dispositio in ordinem.*] Varro lib. 11. de Ling. Lat. Ut olitor differit in areas sui cujusque generis res; sic in oratione facit disertus. L. Columella lib. 7. de Villica. Quis dubitet nihil esse pulchrius in omni ratione vitæ, *dispositione* atque ordine. Quod etiam ludicris spectaculis licet sepes cognoscere, &c. *Pitbaeus.*

nia, prodigium sit tamen. Et artus etiam leviter loco moti, perdunt quo viguerunt usum: & turbati exercitus sibi ipsi sunt impedimento. Nec mihi videntur errare, qui ipsam rerum naturam stare ordine putant: quo confuso, peritura sint omnia. Sic oratio carens hac virtute tumultuetur necesse est, & sine rectore fluitet, nec cohæreat sibi: multa repetat, multa transeat, velut nocte in ignotis locis errans: nec initio nec fine proposito, casum potius quam consilium sequatur. Quapropter totus hic liber serviat *dispositioni*,<sup>2</sup> quæ quidem si certa aliqua via tradi in omnes materias ullo modo posset, non tam paucis contigisset. Sed cum infinitæ litium formæ fuerint, futuræque sint, & tot seculis nulla reperta sit causa quæ esset tota alteri similis, sapiat oportet actor, & vigilet, & inveniatur, & judicet, & consilium à seipso petat. Neque inficias eo quædam esse quæ demonstrari possint, eaque non omittam.

<sup>1</sup> Nec mihi videntur errare.] Ajunt plerique philosophi, omnia olim conturbata & confusa fuisse in *chaos*, postea in ordinem digesta, pulcherrimam hanc orbis descriptionem effecisse, ajuntque futurum ut aliquando in eandem mosem omnia rursus confundantur. Plato quoque in *Timæo*, omnia in orbe summo ordine distributa à Deo describit. Turneb.

<sup>2</sup> Quæ quidem si certa, &c.] Colli-

git ex hoc loco Rodolphus, Fabium existimasse *dispositionis* præcepta non posse tradi, cum alia atque alia *dispositio* debeat esse, pro varietate litis. hunc tamen locum aliter accipiemus, ut existimet Fab. posse universales & generales tradi *dispositionis* præceptiones, neque tamen eas satis esse, sed quandam petendam *dispositionem* à litis proprietate, ut de *argumentis* quoque diximus. Idem.

C A P. I.

De dispositione facienda.

SIT igitur (ut supra significavi) *divisio*, rerum plurium. Sin *singulas partitio*, singularum in partes, discretus ordo, & recta quædam locatio prioribus sequentia annectens, dispositio,

Primum generalia quædam præcepta de *questionum ac propositionum dispositione* ponit, deinde quo pacto in singulis statibus disponi debeant explicat. Cæterum de *divisione* hoc loco agit, quo-

niam illa totius orationis *dispositionem* ostendit. Rodolphus Agricola id ita videtur accipere, quia de *divisione capitum* in statibus sit acturus. Turneb.

sitio, utilis rerum ac partium in locos distributio. Sed meminimus ipsam *dispositionem* plerunque utilitate mutari, nec eandem semper primam quaestionem ex utraque parte tractandam. Cujus rei ut caetera exempla praeteream, Demosthenes quoque atque Aeschines possunt esse documento, in iudicio Ctesiphontis diversum secuti ordinem, <sup>1</sup> cum accusator a jure, quo videbatur potentior, coeperit: patronus omnia vel pene omnia ante jus posuerit, quibus iudicem quaestioni legum praepararet. <sup>2</sup> Aliud enim alio docere prius expedit: alioqui semper petitoris arbitrio diceretur: <sup>3</sup> denique in accusatione mutua, ut se uterque defendat, priusquam adversarium arguat, omnium rerum necesse est ordinem esse diversum. Igitur quid ego sim secutus quod partim praecipis, partim usurpatum ratione cognoveram, promam: nec unquam dissimulavi. <sup>4</sup> Erat mihi curae in controversiis forensibus, nosse omnia quae in causa versarentur. Nam in schola certa sunt, & pauca, & ante declamationem exponuntur, quae *ῥητορικὰ* Graeci vocant, Cicero *proposita*. Cum haec in conspectu quodammodo collocaveram, non minus pro adversa parte quam pro mea cogitabam. Et primum (quod non difficile dictu est, sed tamen ante omnia intuendum) constituebam, <sup>5</sup> quid utraque pars vellet

<sup>1</sup> Cum accusator a jure, &c.] Initio Aeschines has duas leges tractat, neminem coronandum esse nisi rationes reddiderit: coronamque dandam vel in concione vel in curia, non autem in theatro, ut fecit Ctesiphon: demum de vita Demosthenis dixit. Demosthenes autem primum de rebus a se gestis, deinde de jure. Idem.

<sup>2</sup> Aliud enim alio docere.] In aliis sic legitur, Aliud enim alii docere prius expedit, ut sit sensus, aliquid utile esse petitori si primo loco ponatur, aliud defensori. Idem.

<sup>3</sup> Denique in accusatione mutua.] In anticategoria, id est, recriminatione & mutua accusatione, contraria est utrius-

que partis dispositio: ut si objicias mihi homicidium, ego tibi sacrilegium, prius ego dicam de homicidio ut me purgem, tu prius de sacrilegio. Idem.

<sup>4</sup> Erat mihi curae, &c.] Cum dispositio tota pendeat ab ipso statu ac utriusque partis firmamentis & adjumentis, idcirco hac de re tractat Fabius, ut inde disponendi rationem cruat. Idem.

<sup>5</sup> Quid utraque pars vellet efficere.] Prius illud refertur ad id quod adversarius obtinere vult, ut Cic. vult obtinere, jure casum Clodium: posterius ad firmamenta & adjumenta refertur, quibus probamus quod efficere volumus: ut Cicero docet insidiatorem esse Clodium. Idem.

vellet efficere, tum per quid, hoc modo. Cogitabam quid primum *petitor* diceret. Id aut *confessum* erat, aut *controversum*. Si *confessum*, non poterat ibi esse quæstio. Transibam ergo *ad responsum* partis alterius, idem intuebar: nonnunquam etiam quod inde obtinebatur, *confessum* erat. <sup>1</sup>Ubi primum cœperat non convenire, quæstio oriebatur. Id tale est, *Occidisti hominem, occidi: convenit: transeo*. Rationem reddere debet reus *quare occiderit*. *Adulterum*, inquit, *cum adultera occidere licet*, legem esse certum est. Tertium jam aliquid videndum est, in quo pugna consistat. *Non fuerunt adulteri: fuerunt*, quæstio. de facto ambigitur, conjectura est. <sup>2</sup>Interim vero & tertium *confessum* est, *adulteros fuisse, sed tibi*, inquit accusator, *illos non licuit occidere*: <sup>3</sup>exul enim eras, & ignominiosus de jure quæritur. At protinus dicenti, *occidisti: respondeatur, non occidi: statim pugna est*. Sic explorandum est ubi controversia incipiat, & considerari debet quæ primam quæstionem facit. <sup>4</sup>Intentio simplex, *Occidit Saturninum Rabirius: conjuncta, Lege de sicariis commisit L. Varenus. Nam C. Varenus occidendo, & Cn. vulnerando, & Salarium item occidendo, cadit*. Nam sic <sup>5</sup>diversæ propositiones erunt: quod idem <sup>6</sup>de petitionibus dictum sit. Verum ex conjuncta propositione plures esse quæstiones ac status possunt, si aliud negat reus, aliud defendit, aliud jure actionis excludit. In quo genere agenti est di-

spicien-

<sup>1</sup> *Ubi primum cœperat.*] Habendum est in memoria quod diximus *libro tertio*, à Fabio *statum* non poni in illa prima quæstiuncula, sed in summa judicatione: quanquam ceteri rhetores *statum* ponunt in prima quæstione. *Idem.*

<sup>2</sup> *Interim.*] Alii, *Interdum.*

<sup>3</sup> *Exul enim eras.*] *Exul* enim cui interdictum est aqua & igni, amittit civitatem & civitatis jura: *ignominiosus* quoque multa jura amittit. oritur igitur status legalis, *an lex Julia, quæ concedit ut adulter cum adultera occidatur, id permittat ignominioso & exuli.* Turneb.

<sup>4</sup> *Intentio simplex.*] Ista huc perti-

nent, ut doceat quam *dispositionem* sequi debeat accusator in *simplici* intentione & *conjuncta*. cumque *intentioni* aliquid opponat defensor, ostendet Fab. quæ dispositio sit in *defensione simplici*, aut in *defensione conjuncta*. *Idem.*

<sup>5</sup> *Diversæ propositiones erunt.*] Hoc capite *propositiones* accipere debemus pro accusatoris objectionibus & intentionibus quæ proponuntur, ut apparet ex sequentibus, cum ait, *ubi multa contra unam propositionem dicimus, &c.* *Idem.*

<sup>6</sup> *De petitionibus.*] Sunt autem *petitiones* in causis privatis, *accusationes* in publicis. *Idem.*

spiciendum, quid quoque loco diluat. Quod pertinet ad actorem, non plane dissentio à Celso, qui sine dubio Cicronem est secutus. <sup>1</sup> Instat tamen huic parti vehementius, ut putet primo firmum aliquid esse ponendum, summo firmissimum, imbecilliora medio: quia & initio movendus sit iudex, & summo impellendus. At pro reo plerunque gravissimum quicque primum movendum est, ne illud spectans iudex reliquorum defensionem sit aversior. Interim tamen & hoc mutabitur, si leviora illa palam falsa erunt, gravissimi defensionem difficilior: ut detracta prius accusatoribus fide, aggrediamur ultimum, jam iudicibus omnia vana esse credentibus. Opus erit tamen præfatione, qua & ratio reddatur dilati criminis, & promittatur defensionem: ne id quod non statim diluemus, timere videamur. Antea actæ vitæ crimina plerunque prima purganda sunt, ut id de quo laturus est sententiam iudex, audire propitius incipiat. Sed hoc quoque pro Vareno <sup>2</sup> Cicero in ultimum distulit: non quid frequentissime, sed quid tum expediret, intuitus. <sup>3</sup> Cum simplex intentio est, videndum est an unum aliquid respondeamus, an plura. Si unum, *in re* quæstionem instituamus, an *in scripto*. Si *in re*: <sup>4</sup> negandum sit quod obicitur, an tuendum. Si *in scripto*, in qua specie juris pugna sit, & in ea de verbis, an voluntate quærat. Id ita consequemur, si intuiti fuerimus quæ sit lex quæ litem faciat: hoc est, qua iudicium sit constitutum. Nam quædam in scholasticis ponuntur ad conjungendam modo actæ rei seriem: ut, *Pater expositum qui agnovit, solutis alimentis recipiat. Minus dicto audientem filium liceat abdicare.* Qui expositum recepit, imperat ei nuptias locupletis

<sup>1</sup> *Instat tamen huic.*] Cornelius Celsus in hoc dispositionis præcepto erravit. putavit enim hanc disponendi rationem utilem esse non solum accusatori, sed etiam defensori. Fabius accusatori utilem putat. *Idem.*

<sup>2</sup> *Cicero.*] Ut pro Murena.

<sup>3</sup> *Cum simplex intentio est.*] Nunc Fab. docet, quid agere debeat defensor ut

optime disponat. nam quæ antea de defensore dixit, huc pertinebant ut refutaretur Celsi opinio. *Idem.*

<sup>4</sup> *Negandum sit quod obicitur, &c.*] Prius illud membrum duos complectitur status, *conjecturam* & *fnitionem*. nam in *fnitione* quoque negamus hoc esse factum. sic usurpat Fab. lib. 5. *Idem.*

cupletis propinqui: ille ducere vult filiam pauperis educatoris. <sup>1</sup> Lex de expositis ad affectum pertinet, iudicium pendet ex lege abdicationis. Nec tamen semper ex una lege quaestio est, ut in *ἀντιπαραστάσει*. His spectatis apparebit circa quaestio pugna sit. Conjuncta defensio est, qualis pro Rabirio, <sup>2</sup> *Si occidisset, recte fecisset, sed non occidit*. Ubi vero multa contra unam propositionem dicimus, cogitandum est primum quicquid dici potest: tum ex his quo quicque loco dici expediat, ordinandum. In quo non idem sentio quod de propositionibus paulo ante, quodque de argumentis probationum loco concessi, aliquando nos incipere à firmioribus. Nam vis quaestionum semper crescere debet, & ad potentissima ab infirmis pervenire, sive sunt ejusdem generis, sive diversi. <sup>3</sup> Juris autem quaestiones solent esse nonnunquam ex aliis atque aliis conflictationibus: facti semper idem spectant, in utroque genere similis ordo est. Sed prius de dissimilibus, ex quibus infirmissimum quicque primum tractari oportet. Ideoque quasdam quaestiones executi donare solemus, & concedere. Neque enim transire ad alias possumus, nisi omissis prioribus. Quod ipsum ita fieri oportet, non ut damnasse eas videamur, sed omisisse, quia possumus etiam sine eis vincere. Procurator alicujus pecuniam petit ex fœnore hæreditario: potest incidere quaestio, an huic esse procuratorem liceat. Finge, nos postquam tractavimus, remittere, vel etiam convinci: quaeretur, an ei cujus nomine litigatur procuratorem habendi sit jus. Discedamus

<sup>1</sup> *Lex de expositis, &c.*] Lex prior nihil attinet ad iudicii constitutionem, duntaxat utrique parti est utilis ad affectum. nam pater dicit se expositum recepisse, filius dum expositus fuerit, se à paupere educatum fuisse. hinc affectus erit. *Idem.*

<sup>2</sup> *Si occidisset, &c.*] Est *antiparastasis* & *enstasis*, in quibus servanda est hæc dispositio, ut *antiparastasis*, quæ infirmior est, prior colloceatur: *enstasis*, quæ firmior, posterior. Hermog. tamen

*lib. 3. de Inventione*, nunc priorem *enstasim*, nunc posteriorem collocandam putat. *Idem.*

<sup>3</sup> *Juris autem quaestiones.*] Juris quaestiones appellat *quaestiones legales*, in quibus etiam complectitur *translationem*. variae sunt autem quaestiones illæ, atque alio & alio causam deflectunt, ac nonnunquam intentionem eludunt, quod non fit in *quaestionibus facti*. nam inter se conspirant, & eodem tendunt. *Idem.*

damus hinc quoque, recepit materia quæstionem, an ille  
cujus nomine agitur, hæres sit fœneratoris, an <sup>1</sup> ex assè hæ-  
res. Hæc quoque concessa sint, quæretur an debeatur. Con-  
tra, nemo tam demens fuerit, ut id quod firmissimum du-  
xerit se habere, remittat, & ad leviora transcendat. Huic  
in schola simile est, Non abdicabis adoptatum. ut hunc  
quoque, non virum fortem: ut & fortem, non quicumque vo-  
luntati tuæ non paruerit: & ut in alia omnia subjectus sit,  
non propter opinionem: & ut propter opinionem, non  
propter talem opinionem. Hæc juris quæstionum differen-  
tia est. In factis autem ad idem tendentia sunt plura: ex qui-  
bus aliqua citra summam quæstionem remitti solent: ut si is  
cum quo furti agitur, dicat, *Proba te habuisse, proba perdi-  
disse, proba furto perdidisse, proba mea fraude.* Priora enim re-  
mitti possunt: ultimum non potest. <sup>2</sup> Solebam & hoc fa-  
cere præcipue, ut vel ab ultima specie (nam ea fere est quæ  
continet causam) retrorsum quærerem usque ad primam  
generalem quæstionem, vel à genere ad extremam speciem  
descenderem, etiam in suasoriis: ut deliberat *Numa, an  
regnum offerentibus Romanis recipiat.* Primum id est genus, *an  
regnandum, an in civitate aliena, an Romæ, an laturo sint Ro-  
mani talem regem.* Similiter & in controversiis. *Optet enim  
vir fortis alienam uxorem.* Ultima species est, *an optare possit  
alienam uxorem.* Generale est, *an quicquid optaverit, accipere  
debeat:* inde an ex privato, an nuptias, an maritum haben-  
tem. <sup>3</sup> Sed hoc non quemadmodum dicitur, ita & quæritur.

Primum

1. *Ex assè hæres.]* Solent appellare ju-  
risconsulti *assim*, totam hæreditatem,  
quoniam illa more assis in duodecim  
partes dividitur. si igitur non esset *ex  
assè hæres* ille à quo petitur, eludere pe-  
titionem posset, quod non huic, sed  
aliis hæredibus solvere deberet fœnus.  
*Idem.*

2. *Solebam & hoc facere.]* Quoniam  
sæpenumero solent oratores *hypothesin*  
revocare *ad thesin*, scire oportet quo  
id pacto sit faciendum, tum quomodo

omnes illæ quæstiones sint disponendæ.  
huc pertinent ea quæ à Rodolpho scri-  
buntur *lib. 2. de multiplicatione unius  
quæstionis in plures.* *Idem.*

3. *Sed hoc non.]* In oratione non eod-  
dem modo disponuntur *quæstiones*, ut  
in investigando solent nobis occurrere.  
occurrit enim fere prima *hypothesis*, quæ  
causam continet: at illa ultimo loco  
collocanda est, præpositis minoribus  
quæstionibus. *Idem.*

1. *Ideo-*



Primum enim occurrit fere, quod est ultimum dicendum, ut hoc, *Non debes alienam uxorem optare.* <sup>1</sup> Ideoque divisionem perdit festinatio. *Non oportet igitur offerentibus se contentum esse:* quærat<sup>ur</sup> aliquid quod est ultra, *si ne viduam quidem:* adhuc plus, *si nihil ex privato:* ultimum retrorsum, quod idem à capite primum est, *si nihil iniquum.* Itaque propositione visa, quod est facillimum, cogitemus si fieri potest, quid naturale sit primum responderi. Id si tanquam res agatur, & nobis ipsis respondendi necessitas sit, intueri voluerimus, occurrit. Si id non contigerit, seponamus id quod primum se obtulerit & ipsi nobiscum sic loquamur: Quid si hoc non esset? id iterum & tertium, & dum nihil sit reliqui. Ita inferiora quoque scrutabimur, quæ tractata faciliorem nobis judicem in summa quæstione facient. Non dissimile huic est & illud præceptum, ut à communibus ad propria veniamus. Fere enim communia generalia sunt. Commune est, *tyrannum occidit:* proprium, <sup>2</sup> *Viriatum tyrannum occidit, mulier occidit, uxor occidit.* <sup>3</sup> Solebam & excerpere quid mihi cum adversario conveniret, si modo id pro me erat: nec solum premere confessionem, sed partiendo multiplicare: ut in illa controversia, *Dux qui competitorem patrem in suffragiis vicerat, captus est:* Euntes ad redimendum eum legati, obvium habuerunt patrem revertentem ab hostibus. *is legatis dixit, Sero itis. Excusserunt illi patrem, & au-*

<sup>1</sup> *Ideoque divisionem.]* Quando festinamus, *hypothesis* quæ causam continet, sola se nobis offert, reliquæ autem quæstiones quæ ab illa pendent ac minores sunt à nobis non videntur: unde *divisione* uti non possumus. *Idem.*

<sup>2</sup> *Viriatum tyrannum.]* In aliis codicibus legitur, *Virum tamen tyrannum,* quæ lectio forte est probabilior, ut alludat ad historiam. nam *Thebe* Alexandrum *Pheræorum* tyrannum maritum suum interfecit. nec obesse debet quod nomen sit *generale:* solent enim plerumque declamatores *generalibus* uti nomi-

nibus loco propriorum. & alioqui si *Viriatum* legas, non satis quadrat exemplum. Fuit enim *Viriatum* latro Lusitanus, qui exercitum coëgit, totamque Lusitaniam populatus est, demum à Romanis superatus. *Idem.*

<sup>3</sup> *Solebam & excerpere.]* Hæc est species divisionis quæ *sejunctio* dicitur à *Trapezuntio*, cum ostendimus in quo nobis conveniat cum adversario, in quo non conveniat. Cæterum hoc præceptum partim *inventionis* est, partim *dispositionis*, cujus species est *divisio*. *Idem.*

<sup>1</sup> *Solebam*

rum in sinu ejus invenerunt : ipsi perseverarunt ire quo intenderant : invenerunt ducem crucifixum, cujus vox fuit, *Cavete proditorem. Reus est pater. Quæ conveniunt?* Proditio nobis prodita est & prodita à duce, quærimus proditorem. *te iisse ad hostes fateris, & iisse clam, & ab his incolumem rediisse, aurum retulisse, & aurum occultum habuisse.* Nam quod fecit, id nonnunquam potentius fit in propositione: quæ si animos occuparit, prope aures ipsi defensionis præcluduntur. In totum autem congregatio criminum accusantem adjuvat, separatio defendentem. <sup>1</sup> Solebam id quod fieri & in argumentis dixi, in tota facere materia, ut propositis extra quæ nihil esset omnibus, deinde cæteris remotis, solum id superesset quod credi volebam, ut in prævaricationum criminibus, ut absolvatur reus, aut innocentia ipsius fit, aut interveniente aliqua potestate, aut vi, aut corrupto judicio, aut difficultate probationis, aut prævaricatione. Nocentem fuisse confiteris, nulla potestas obstitit, nulla vis, corruptum judicium non quereris, nulla probandi difficultas fuit: quid superest, nisi ut prævaricatio fuerit? <sup>2</sup> Si omnia amoliri non poteram, tamen plura amoliebar. *Hominem occisum esse constat*, non in solitudine, ut à latronibus suspicer: non prædæ gratia, *quia in spoliatus est*: non hæreditatis spe, *quia pauper fuit*. odium igitur in causa, quis inimicus? <sup>3</sup> Quæ res autem faciliorem divisioni viam præstat, eadem inventioni quoque, excutere quicquid dicitur, <sup>4</sup> potest, & velut

<sup>1</sup> *Solebam id quod.*] Quemadmodum in argumentis aliquando ratiocinamur per remotionem, ut docuit Fab. lib. 5. ita quoque argumentamur in tota causa, & capita omnia occupamus quibus se tueri potuisset adversarius, eaque removemus & refellimus. hoc quoque præceptum partim inventionis est, partim dispositionis. Idem.

<sup>2</sup> *Si omnia amolivi.*] Fab. tamen l. 5. ait periculosum hoc esse genus, si quid omitteretur, cum rursus res tota solvitur: hic

tamen aliquid omitti posse in remotione innuit. Idem.

<sup>3</sup> *Quæ res autem.*] Superiorem illam rationem qua divisionem investigabamus, ait etiam prodesse inventioni, quia sensim excutiendo aliud atque aliud, tandem invenimus quod est utilissimum nobis. cæterum rejectionem facere dixit per metaphoram, nam postquam prætor judices erat sortitus, utrique permittebatur parti quos vellet judices rejicere. Idem.

<sup>4</sup> *Potest.*] Dan. Prodest.

<sup>1</sup> *Mutis*

velut rejectione facta ad optimum pervenire. Accusatur Milo quod Clodium occiderit: *aut fecit, aut non*. Optimum erat *negare*: si non potest, *occidit*: ergo *aut jure, aut injuria*. Utique *jure*: aut *voluntate* igitur, aut *necessitate*. Nam ignorantia prætendi non potest. *Voluntas* anceps est. Sed quia ita id homines putant, adjungenda defensio, ut id *pro Repub. fuerit*. *Necessitate*, subita igitur pugna, non præparata, *alter igitur insidiatus est*. Uter profecto Clodius. Videsne ut ipsa rerum necessitas deducat ad defensionem? Adhuc, *Aut utique voluit occidere insidiatorem Clodium, aut non*. Tutius si *no- luit*. *Fecerunt ergo servi Milonis, neque jubente neque sciente Milone*. At hæc tam timida defensio detrahit auctoritatem illi, qua recte dicebamus occisum. Adjicitur, *Quod suos quisque servos in tali re facere voluisset*. Hoc eo est utilius, quod sæpe nihil placet, & aliquid dicendum est. Intueamur ergo omnia: ita apparebit aut id quod optimum est, aut id quod minime malum. Propositione aliquando adversarii utendum: & esse nonnunquam communem eam suo loco dictum est. <sup>1</sup> Multis millibus versuum scio apud quosdam esse quæsitum, quomodo inveniremus utra pars deberet prior dicere: quod in foro vel <sup>2</sup> atrocitate formularum, vel modo petitionum, vel novissime sorte dijudicatur. In schola quæri nihil attinet, cum in declamationibus iisdem narrare, & contradictiones solvere, <sup>3</sup> tam ab actore quam à defensore concessum sit. Sed in plurimis controversiis ne inveniri quidem potest: ut in illa, *Qui tres liberos habebat, oratorem,*

*philoso-*

<sup>1</sup> *Multis millibus versuum.*] Hoc enim quadantenus ad *dispositionem* pertinet, ut scias utra pars prior dicere debeat: quoniam alia est *dispositio* capitum & *divisio* ipsius actoris, alia defensoris. *Turneb.*

<sup>2</sup> *Atrocitate formularum.*] *Formule* olim apud Romanos erant certæ verborum conceptiones in actionibus, à quibus si quis vel una syllaba descivisset, *causa cecidisset & formula*. has formulas in codice sustulit *Justinianus*. *Idem.*

<sup>3</sup> *Tam ab actore quam à defensore.*] Cum *actor* ita narravit ut expedit defensori, *defensor* expositionibus debet supersedere. præterea in causis forensibus *actor* primis actionibus contradictiones solvere non potest, quia ab adversario nihil est adhuc dictum, contra *defensor* potest. ita aliquid in orationis dispositione immutatur, nihil tamen in *declamatione*, quia majorem habet libertatem. *Idem.*

<sup>4</sup> *Dicit.*]

philosophum, & medicum, testamento quatuor partes fecit, & singulas singulis dedit: unam ejus esse voluit, qui esset utilissimus civitati. Contendunt quis primus <sup>1</sup> dicat: incertum est, propositio tamen certa. Ab eo enim cujus personam tuebimur, incipiendum erit. Et hæc quidem de dividendo in univcrsum præcipi possunt. <sup>2</sup> At quomodo inveniemus etiam illas occultiores quæstiones? scilicet quomodo *sententias, verba, figuras, colores?* Ingenio, cura, exercitatione. Non tamen fere unquam nisi imprudentem fugerint, si (ut dixi) naturam sequi ducem velit. Sed plerique eloquentiæ famam affectantes, contenti sunt locis speciosis modo, vel nihil ad probationem conferentibus. Alii nihil vitantes, ea quæ in oculos incurrunt, exquirenda putant. Quod quo facilius appareat, unam de schola controversiam non ita sane difficilem aut novam proponam in exemplum: *Qui reo proditoris patri non affuerit, exhaeres sit, proditoris damnatus, cum advocato exulet. Reo proditoris patri disertus filius affuit, rusticus non affuit: damnatus abiit cum advocato in exilium. Rusticus cum fortiter fecisset, præmii nomine impetravit restitutionem patris, & fratris. Pater reversus intestatus decessit: <sup>3</sup> petit rusticus partem bonorum, orator totum sibi vindicat.* Hic illi eloquentes, quibusque nos circa lites raras sollicitiores, ridiculi videmur, invadent personas favorabiles. Actio pro rustico *contra disertum*, pro viro forti *contra imbellem*, pro restitutore *contra ingratum*, pro eo qui parte contentus sit, *contra eum qui fratri nihil dare ex paternis velit.* Quæ omnia sunt in materia, & multum juvant, victoriam tamen non tradunt. In hac quærentur <sup>4</sup> sententiæ, si fieri poterit, præcipites, vel

<sup>1</sup> *Dicat.*] *Dicatur.* Pal.

<sup>2</sup> *At quomodo inveniemus.*] Quemadmodum *lib. 5. in argumentis* docuit, præcepta communia locosque topicos non satis instruere oratorem, nisi etiam argumenta erueret ex proprietate litis: ita quoque *dispositio* non satis instruitur præceptis communibus, suntque ex litis proprietate eruenda quædam occultæ

quæstiones, optimeque digerenda. est autem hoc præceptum & *inventionis & dispositionis.* Turneb.

<sup>3</sup> *Petit rusticus partem bonorum.*] Nam ex jure civili *intestatorum* bona & hereditates deferuntur ad agnatos. *Idem.*

<sup>4</sup> *Sententiæ præcipites.*] *Præcipites* appellat *sententias*, numerosas & copiosas, ideoque sæpenumero *inconsultas & tumultu-*

vel obscuræ. Nam ea nunc virtus est, ut pulchre fuerit cum materia tumultu & clamore transactum. Illi vero quibus propositum quidem melius, sed <sup>1</sup> cura in proximo est, hæc <sup>2</sup> velut innatantia videbunt, excusatum esse rusticum, qui non interfuerit iudicio, nihil collaturus patri: sed ne disertum quidem habere quod imputet reo, cum is damnatus sit. Dignum esse hæreditate restitutorem, *non avarum, impium, ingratum*, qui dividere nolit cum fratre, eoque sic merito. Quæstionem quoque illam primam <sup>3</sup> scripti & voluntatis, qua non expugnata non sit sequentibus locus. At qui naturam sequetur, illa cogitabit profecto, primo, hoc dicturum rusticum, *Pater intestatus duos nos filios reliquit, partem jure gentium peto*. Quis tam imperitus, quis tam procul à literis, quin sic incipiat, *Eriam si nescierit quid sit propositio?* Hanc communem omnium legem leviter adornabit, ut justam. Nempe sequetur, ut quæramus quid huic tam æquæ postulationi respondeatur. At id manifestum est. Lex est *quæ jubet exheredem esse eum, qui patri proditoris reo non affuerit: tu autem non affuisti*. Hanc propositionem necessario sequitur legis laudatio, & ejus qui non affuerit, vituperatio. Adhuc versamur in confessis: redeat animus ad petitem: nunquid non hoc cogitet necesse est, nisi qui sit plane hebes? *Si lex obstat, nulla lis est, inane iudicium est:* atqui & legem esse, & hoc quod ea puniat, à rustico factum, extra dubitationem est. Quid ergo dicemus? *Rusticus eram*. Sed lex erat, omnes complectitur: nihil proderit. Quæramus ergo, num infirmari in aliqua parte lex possit. Quid aliud (sæpius dicam) natura permittit,

quam

& tumultuosas: quod genus orationis frequens erat tempore Fabii. *Idem.*

<sup>1</sup> *Cura in proximo est.*] Vel ait prope similem esse curam utrique oratori, vel hos in proximo positâ videre, id est, in oculos incurrentia. ducta metaphora à lusciosis, qui *myopes* dicuntur, videntque duntaxat oculis admota. *Idem.*

<sup>2</sup> *Velut innatantia.*] *Innatantia* dixit more Græco, pro manifestis & in ipsa superficie eminentibus. Vide Bud. in *comment. linguæ græcæ*. *Idem.*

<sup>3</sup> *Scripti & voluntatis.*] Lex est, ut filius qui patri non adfuerit, exhereditatus sit: adversus quam nitetur sententia, quod intelligatur duntaxat de his qui in iudicio prodesse possint. *Idem.*

X Filius

quam ut cum verba contra sint, de voluntate quærat? Generalis igitur quæstio, *verbis, an voluntate sit standum*. Sed enim in commune de jure omni disputandum semper, nec unquam satis judicatum est. Quærendum igitur in hac ipsa qua consistimus, an aliquid inveniri possit quod scripto adversetur. Ergo quisquis non affuerit, *exheres erit? quisquis sine exceptione?* Jam se illa vel ultro offerent argumenta, <sup>1</sup> *Filius infans & ager non affuit, & qui aberat, & qui militabat, & qui in legatione erat*. Jam multum acti est: posset aliquis non affuisse, & hæres esse. <sup>2</sup> Transeat nunc idem ille qui cogitavit, ut ait <sup>3</sup> Cicero, tibicinis Latini modo ad disertum: *Ut ita concedam: tu nec infans es, nec ager eras, nec absuisti, nec militasti, nec in legatione fuisti*. Non aliud occurrit quam illud, *Sed rusticus sum*. <sup>4</sup> Contra quod palam est, dicet. *Ut agere non potueris, assidere potuisti*. & verum est. quare redeundum est rustico ad animum legumlatoris: *Impietatem punire voluit, ego autem impius non sum*. Contra quæ disertus. *Tu impie fecisti*, inquit, *cum exheredationem meruisti*: licet te postea vel pœnitentia vel ambitus ad hoc genus optionis adduxerit. Præterea *propter te damnatus est pater*. Videbaris enim de causa pronuntiasse. Ad hæc rusticus, *Tu vero causa damnationis fuisti: multos offenderas: inimicitias domi contraxeras*. Hæc conjecturalia. Illud quoque quod coloris loco rusticus dicit, *patris fuisse tale consilium, ne universam domum periculo subjiceret*. Hæc prima quæstione scripti & voluntatis continentur. Intendamus ultra animum, videamusque an aliquid inveniri præterea possit quo id modo fiat. Sedulo imitor quærentem, ut quærere doceam,

<sup>1</sup> *Filius infans & ager, &c.*] Sunt hæc exempla ficta, quæ dicuntur à Fabio argumenta per *hypothesein*, quibus nihil potest esse firmiter ad oppugnandum scriptum, ut docuit lib. 5. *Idem*.

<sup>2</sup> *Transeat nunc.*] Tibicines in comœdiis Latinis & togatis transire solent à sinistris tibiis ad dextras. hic per *metaphoram* proverbialem significavit Fab.

transitum ab una parte ad alteram, ut ab rustico ad disertum. est autem imitatio Ciceroniana. *Idem*.

<sup>3</sup> *Cicero.*] *Pro Murena*.

<sup>4</sup> *Contra quod palam est.*] Nam cum lex dicit *advocatum*, non solum intelligit *oratores*, verum etiam illum qui præsens est in judicio ad favorem. *Idem*.

*Idem*

ceam, & omisso speciosiore illo styli genere, ad utilitatem me summitto discentium. Omnes adhuc quæstiones ex persona petitoris ipsius duximus: cur non aliquid circa patrem quærimus? <sup>1</sup> dictum vero est, *Cui quis non affuerit, exheres erit.* Cur non conamur & hîc quærere, *num cuicumque non affuerit?* Facimus hoc sæpe in iis controversiis, in quibus petuntur in vincula qui parentes suos non alunt, an eum qui testimonium in filium impietatis reum dixit? an eum qui filium lenoni vendidit? In hoc de quo loquimur patre, quid apprehendi potest? *Damnatus est.* <sup>2</sup> Nunquid igitur lex ad absolutos tantum patres pertinet? dura prima fronte quæstio. Non desperemus, credibile est hoc voluisse legumlatorem, ne auxilia liberorum innocentibus deessent. Sed hoc dicere rustico verecundum est, quia innocentem fuisse patrem fatetur. Dat aliud argumentum controversiæ, *Damnatus proditiõis cum advocato exulet.* <sup>3</sup> Vix videtur posse fieri, ut pœna filio eadem, patri & si affuerit, & si non affuerit, constituta sit. <sup>4</sup> Præterea lex ad exules nulla pertinet. Non ergo credibile est, non advocato damnati scriptum, *An possint enim bona esse ulla exulis*, rusticus in utraque parte dubium facit. Disertus & verbis inhærebit, in quibus nulla exceptio est: & propter hoc ipsum pœnam esse constitutam eis qui non affuerint, ne periculo exilii deterreantur ab advocacione, & rusticum innocenti non affuisse dicet. Illud protinus non indignum quod annotetur, posse ex uno statu duas generales fieri quæstiones, an quis-

<sup>1</sup> *Dictum vero est.*] Ut supra quoque inceperat à generali quæstione, sic etiam hic incipit, & demum descendit ad speciem. Idem.

<sup>2</sup> *Nunquid igitur lex.*] Dicit rusticus hanc legem, *filius si proditiõis reo patri non adfuerit, exheres sit*, intelligendam esse ita, si pater absolutus fuerit, non si damnatus, atque ita se exheredem esse non debere, cum pater damnatus fuerit. Idem.

<sup>3</sup> *Vix videtur posse fieri.*] Vix videtur

fieri posse ut debeat similiter infligi pœna ei qui adfuerit aut non adfuerit. Eadem autem pœna est bonorum amissio. nam exul bona perdit, & exheres bona quoque perdit. Idem.

<sup>4</sup> *Præterea lex ad exules.*] Exul ita capite diminuitur, ut civitatis jus perdat, ac proinde reliqua quoque jura. cum igitur scribitur in lege, *qui patri proditiõis reo, &c.* non debet intelligi de damnato patre. id est, exule, ad quem nulla lex pertinet, sed de absoluto. Idem.

quis, an cuicumque. Hæc ex duabus personis quæ sita sunt. E tertia autem, quæ est adversarii, nulla oriri quæstio potest: quia nulla fit ei de sua parte controversia. Nondum tamen cura deficiat. <sup>1</sup> Ista enim omnia dici possent etiam non restituto patre. Nec statim eo tendamus, quod occurrit ultro, à rustico restitutum. Qui id subtiliter quæret, aliquid spectabit ultra. Nam ut genus speciem sequitur, ita speciem genus præcedit. Fingamus ergo ab alio restitutum, ratiocinativa atque collectiva quæstio orietur, an restitutio pro sublatione iudicii sit, & perinde valeat, ac si iudicium non fuisset. Ubi tentabit rusticus dicere, ne impetrare quidem aliter potuisse suorum <sup>2</sup> restitutionem uno præmio, <sup>3</sup> nisi patre perinde ac si accusatus non esset, revocato: quæ res advocati quoque pœnam, tanquam is non affuisset, remisit. Tum veniemus ad id quod primum occurrebat, à rustico restitutum esse patrem. Ubi rursus ratiocinamur, an rusticus restitutor accipi debeat pro advocato, quando id præstiterit, quod advocatus petiit: nec improbum sit pro simili accipi, quod plus est. Reliqua jam æquitatis sunt, utrius iustius sit desiderium. Id ipsum adhuc dividitur, etiam si uterque sibi totum vendicaret, nunc utique, cum alter semissem, alter universa, fratre excluso. Sed his tractatis, etiam magnum momentum habet apud iudices patris memoria, cum præsertim de bonis ejus quærat. Erit ergo conjectura, qua mente pater intestatus decesserit. <sup>4</sup> Sed

ea

<sup>1</sup> Ista enim omnia.] Hæc quæstiones petuntur à consequenti tempore & adiunctis. cæterum, ut antea dixit, non oportet subsistere in ea quæstione quæ prima se offerat. quod enim primum offertur, sæpenumero ultimum dicitur. ut igitur antea fecit, descendet à genere ad ultimam speciem. Idem.

<sup>2</sup> Restitutionem uno primo.] Quia duntaxat uno primo potuisset restituere patrem, non etiam advocatum. Idem.

<sup>3</sup> Nisi patre perinde, &c.] Hoc ait ideo, quia qui revocatur, in integrum

restituuntur, & pristina omnia jura recipiunt: quod perinde est ac si non fuissent antea accusati. Idem.

<sup>4</sup> Sed ea pertinet.] Pleraque quæstionem habent in qualitate, quæ tamen conjectura probantur: ac vicissim in conjectura pleraque, quæ probantur qualitate. hic enim dicemus idcirco patrem testamentum non fecisse, quod iustum & æquum putaret utrunque æquali hereditatis portione potiri, maximeque restitutorem. Idem.

Idco



ea pertinet ad qualitatem, quæ alterius status instrumentum est. Plerunque autem in fine caussarum *de æquitate* tractabitur, quia nihil libentius iudices audiunt. Aliquando tamen hunc ordinem mutabit utilitas: ut si in jure minus fiducia erit, æquitate iudicem præparemus. Nihil habui amplius quod in universum præciperem. Nunc eamus per singulas caussarum judicialium partes, quas ut persequi ad ultimam speciem, id est ad singulas lites controversiasque non possum: ita de generalibus scribere licet, ut quæ in quem statum frequentissime incidant, tradam. Et quia natura prima quæstio est, *factumne sit*, ab hac ordiar.

C A P. II.

*De conjectura.*

**C**onjectura omnis, aut *de re*, aut *de animo* est. *Utriusque* tria tempora, *præteritum*, *præsens*, *futurum*. *De re* & generales quæstiones sunt, <sup>1</sup> & definitæ, id est & quæ non continentur, & quæ continentur. *De animo* quæri non potest, nisi ubi persona est, & de facto constat. Ergo cum *de re* agitur: aut *quid factum sit*, in dubium venit, aut *quid fiat*, aut *quid sit futurum*: ut in generalibus, <sup>2</sup> *an atomorum concursu mundus sit effectus*: *an providentia regatur*: <sup>3</sup> *an sit aliquando casurus*. In definitis, *an parricidium commiserit Roscius*: *an regnum affectet* <sup>4</sup> *Manlius*: <sup>5</sup> *an recte Verrem sit accusaturus Q. Cæcilius*. In judiciis præteritum tempus maxime valet. Nemo enim accusat nisi quæ facta sunt. Nam & quæ fiant, & quæ

**I**deo Fab. lib. 3. male illos opinari dixit, qui *statum conjecturalem* appellant *statum facti*, quia quæritur hic etiam *de animo*. Turneb.

<sup>1</sup> *Et definita.*] Quocirca falluntur qui existimant *status ipsos esse duntaxat in hypothesis*, non etiam in *thesi*. Idem.

<sup>2</sup> *In atomorum concursu, &c.*] Hæc opinio est *Democriti*, quam postea interpolavit *Epicurus*. Is enim existimavit fortuito corporum infecabilium concursu conditum esse mundum. Idem.

<sup>3</sup> *An sit aliquando casurus.*] *Democritus* & *Epicurus* aliquando *casurum mundum* putant: putat etiam *Heraclitus*. *Arist.* *eternum existimat*. Idem.

<sup>4</sup> *Manlius.*] *Manlius* qui *Capitolium* defendit, cum *obarratos* & *nexos passim solveret*, incidit in suspicionem affectati regni, estque *de saxo Tarpeio præcipitatus*. Idem.

<sup>5</sup> *An recte.*] Hæc quidem quæstio, ut posteriore docebit *Fabius*, sedem habet in *qualitate*, colligitur tamen *conjectura*. Idem.

& quæ futura sint, ex præteritis colliguntur. <sup>1</sup> Quæritur & unde quid ortum: ut *pestilentia, ira deum, an intemperie cæli, an corruptis aquis, an noxio terræ halitu.* Et quæ caussa facti: ut *quare ad Trojam* <sup>2</sup> *quingenta reges navigaverint, jurejurando adacti an exemplo moti, an gratificantes Atridis.* quæ duo genera non multum inter se distant. Ea vero quæ sunt præsentis temporis, si non argumentis, quæ necesse est præcessisse, sed oculis deprehendenda sunt, non egent conjectura: <sup>3</sup> ut si *apud Lacedæmonios quærat, an Athenis muri fiant.* <sup>4</sup> Sed & illud potest videri extra hoc propositum conjecturæ genus, cum de aliquo homine quæritur, quid sit: ut est quæsitum contra Urbinæ hæredes, *si is qui tanquam filius petebat bona, Clusinius Figulus esset, an Sosipater:* nam & substantia ejus sub oculos venit, ut non possit quæri *an sit:* <sup>5</sup> quomodo ultra oceanum, *nec quid sit, nec quale sit, sed an quid sit.* Verum hoc quoque genus litis ex præterito pendet *an hic sit ex Urbinianatus Clusinius Figulus.* Fuerunt autem tales nostris etiam temporibus controversiæ, atque aliquæ in meum quoque patrocinium inciderunt. Animi conjectura non dubie in omnia tempora cadit, <sup>6</sup> *Qua mente Ligarius in Africa fuerit, Qua mente Pyrrhus fœdus petat, Quomodo laturus sit Cæsar si Ptolemæus Pompeium occiderit.* Quæritur per conjecturam

<sup>1</sup> *Quæritur & unde.]* Hæc ex Cic. ducta sunt. is enim *conjectura* rationem dividit in *An sit, Unde ortum sit, Quæ causa effecerit:* quæ duo prope eadem sunt: addit quartum *de commutatione rei,* quod quia vix in forum cadere possit, à Fabio est omissum. *Idem.*

<sup>2</sup> *Quingenta reges.]* Dares tamen Phrygius ait *sexaginta* reges navigasse ad Trojam, illicque duxisse mille centum & quadraginta naves. *Idem.*

<sup>3</sup> *Ut si apud Lacedæmonios.]* Cum Atheniensis Medicis bellis magnam comparassent sibi laudem, de cingendis mœnibus Athenis cogitarunt: quod opus postea à Lacedæmoniis est impeditum, quibus suspecta erat Atheniensium potentia. nihilominus tamen fraude Themistoclis opus est perfectum. *Idem.*

<sup>4</sup> *Sed & illud.]* Præter illas partes *conjectura* quas Cic. fecit, adjicit Fab. *An quid sit.* nec enim comprehenditur sub illis prioribus: referri tamen potest ad *An sit.* *Idem.*

<sup>5</sup> *Quomodo ultra Oceanum.]* Hoc dicit propter *Alexandrum,* qui deliberavit de trajiciendo Oceano, ut alias terras aliumque mundum inveniret quem subjugaret. *Idem.*

<sup>6</sup> *Qua mente Ligarius, &c.]* Tamen hæc quæstiones videntur potius referri debere ad *qualitatem* quam ad *conjecturam:* in illis enim *de qualitate* quæritur: sed tamen quia *qualitas* illa conjecturis & suspicionibus colligitur, ad *conjecturam* referri potest. sic Fab. interpretatur *cap. de qualitate.* *Idem.*

ram & quantitas & qualitas circa modum, speciem, numerum. <sup>1</sup> *An sol major quam terra,* <sup>2</sup> *Luna globosa, an plana, an acuta.* <sup>3</sup> *Unus mundus, an plures.* Itemque extra naturales quæstiones, *majus bellum Trojanum,* <sup>4</sup> *an Peloponnesiacum.* *Qualis clypeus Achillis.* <sup>5</sup> *An unus Hercules.* In iis autem quæ accusatione ac defensione constant, unum est genus in quo quæritur & *de facto,* & *de auctore.* Quod interim conjunctam quæstionem habet, & utrunque pariter negatur: interim separatam, cum & factum sit, necne: & si de facto constet, à quo factum sit, ambigitur. Ipsum quoque factum aliquando simplicem quæstionem habet *an homo perierit:* aliquando duplicem, *veneno, an cruditate perierit.* Alterum est genus *de facto* tantum, cum si id certum sit, non potest de auctore dubitari. Tertium *de auctore* tantum, cum factum constat, sed à quo factum sit, in controversiam venit. Et quod tertio loco posui, non est simplex. Aut enim reus fecisse tantummodo se negat, aut alium fecisse dicit. Sed ne in alterum quidem transferendi criminis una forma est. <sup>6</sup> Interdum enim substituitur *mutua accusatio,* quam Græci *ἀντι κατηγορησιον* vocant, nostrorum quidam *concertativam.* Interdum in aliquam personam, quæ extra discrimen judicii est, transfertur, & alias certam, alias incertam. Et cum in certam, aut in extrariam, aut in ipsius qui perit voluntatem. In quibus similis atque in *ἀντι κατηγορησιον,* personarum, causarum, cæterorum comparatio est: ut Cicero

<sup>1</sup> *An sol major quam terra.*] Eratosthenes mathematicus colligit solem esse vicies septies majorem terra. *Idem.*

<sup>2</sup> *Luna globosa.*] Mathematici omnes putant lunam & cæteras stellas in orbem esse globatas. *Idem.*

<sup>3</sup> *Unus mundus.*] Arist. existimavit unicum esse mundum, Democritus atque Epicurus infinitos quotidie nascentes & intereuntes. *Idem.*

<sup>4</sup> *An Peloponnesiacum.*] Thucydides in præfatione lib. primi comparat bellum Peloponnesiacum cum Trojano, mul-

tilque conjecturis colligit Peloponnesiacum esse majus. *Idem.*

<sup>5</sup> *An unus Hercules.*] Cic. lib. 3. de natura deorum, colligit sex fuisse Hercules. *Idem.*

<sup>6</sup> *Interdum enim.*] *Anticategoria* finitimum est quod appellatur *ἀντι κατηγορησιον,* quando scilicet tota nostra defensio constat alterius insectatione. at in *anticategoria* à nobis crimen rejicimus, & alteri intendimus. vertitur *repercussio* & *concertatio,* à nonnullis etiam *apologatio.* *Idem.*

cero pro Vareno in familiam Ancharianam: pro Scauro circa mortem Bostaris in matrem avertens crimen, facit. Est etiam illud huic contrarium comparationis genus, in quo uterque à se factum esse dicit: & illud in quo non personæ inter se, sed ipsæ res colliduntur, id est, non uter fecerit, sed *utrum factum sit*. Cum de facto & de auctore constat, de animo quæri potest. <sup>1</sup> Nunc de singulis. Cum pariter utrumque negatur, hoc modo. *Adulterium non commisi. Tyrannidem non affectavi.* In cædis ac veneficii caussis frequens est illa divisio, *Non est factum*: & si est factum, *ego non feci*. <sup>2</sup> Sed cum dicimus, *Proba hominem occisum*, accusatoris tantum partes sunt: à reo nihil dici contra, præter aliquas fortasse suspiciones potest, quas spargere quam maxime varie oportebit: <sup>3</sup> quia si unum aliquid affirmaris, probandum est, aut causa periclitandum. <sup>4</sup> Nam ut cum inter id quod ab adversario, & id quod à nobis propositum est, quæritur, videtur utique alterum verum: ita ex adverso unum est quo defendimur, reliquum est quo premimur. <sup>5</sup> At cum quærimus de ambiguis signis *cruditatis & veneni*, nihil tertium est: ideoque utraque pars quod proposuit tue-

tur.

<sup>1</sup> *Nunc de singulis.*] Divisionem superiorem exemplis explicat, docetque quo pacto in singulis disponere debeamus & tractare. est igitur legendum, *Nunc de singulis*: cum pariter utrumque negatur. nam in hac propositione, *Adulterium non commisi*, simul factum negatur, scilicet adulterium: simul auctor, quod non commiseris adulterium. *Idem.*

<sup>2</sup> *Sed cum dicimus.*] In separata defensione cum negamus esse factum, idque probandum dicimus, tum maxime sunt partes *accusatoris* ut probet, nobis erunt quædam suspiciones varix ac diversæ: quia unam duntaxat si tuebimur, & unum aliquid dicemus, nisi probare id potuerimus, causa cademus. *Idem.*

<sup>3</sup> *Quia.*] Alii, *Quod.*

<sup>4</sup> *Nam ut cum.*] Duplex esse potest

sensus, si ex adverso legas, hoc modo: *in illa defensione, cum unum aliquid affirmamus, illo nos tuemur, cum tamen firmiorem haberemus defensionem in multis quæ nos premunt, quoniam à nobis relinquuntur.* sin autem legatur, è *converso*, ut in antiquis codicibus, melior erit sensus hoc modo: *in illa questione separata est membrum prius eversum fuerit ab adversario, supererit unum quo nos tuebimur.* Turneb.

<sup>5</sup> *At quom quærimus.*] Cum obicitur tibi *veneficium*, dicere potes, *veneficium non est factum*, & si factum est, ego non feci: at cum ita te defendis ut neges hominem *veneficio* periisse, sed *cruditate*, hoc semper tueri debes ut firmissimum, neque tertium adjicere, etsi *veneficio* perierit, abs te non interfectum esse. *Idem.* At.] Alii, *Ut.*

I Interim

tur. <sup>1</sup> Interim autem ex re quæritur, *veneficium fuerit, an cruditas*, cum aliqua ex ipsa citra personam quoque argumenta ducuntur. Refert enim, convivium præcesserit, an tristitia: labor, an ocium: vigilia, an quies. Ætas quoque ejus qui perierit discrimen facit. Interest, subito defecerit, an longiore valetudine consumptus sit. <sup>2</sup> Liberior adhuc in utranque partem disputatio, si tantum subita mors in quæstionem venit. Interim ex persona probatio rei petitur, ut propterea credibile sit venenum fuisse, quia credibile est ab hoc factum veneficium: vel contra. Cum vero de reo & de facto quæritur, naturalis ordo est, ut prius factum esse accusator probet, deinde à reo factum. <sup>3</sup> Si tamen plures in personam probationes habuerit, convertet hunc ordinem. Defensor autem prius negabit esse factum: quia si in hac parte vicerit, reliqua non necesse habet dicere: victo superest ut tueri se possit. Illic quoque ubi de facto tantum controversia est, quod si probetur, non possit de auctore dubitari: similiter argumenta & ex persona, & ex re ducuntur, sed in unam facti quæstionem: sicut in illa controversia (utendum est enim & his exemplis, quæ sunt discentibus magis familiaria.) *Abdicatus medicina studuit.* Cum pater ejus ægrotaret, desperantibus de eo cæteris medicis, adhibitus, *sanaturum se dixit*, si is potionem à se datam bibisset. *Pater accepta potionis epota parte, dixit venenum sibi datum*: filius quod reliquum erat exhausit: pater decessit: ille parricidii reus est. Manifestum est quis potionem dederit, nulla quæstio *de auctore*: tantum *an fuerit venenum*, ex argumentis à persona ductis colligetur. Superest tertium, in quo

<sup>1</sup> *Interim autem.*] In hujuscemodi quæstione argumenta ducuntur primum à re citra personæ circumstantiam, postea vero etiam à persona. Turneb.

<sup>2</sup> *Liberior adhuc.*] Nam cum subita mors est, major est adhuc dubitatio, an *veneficium* sit, an *cruditas*: ac proinde liberior disputatio, si quidem & *venefi-*

*cium & cruditas* statim possunt hominem suffocare. *Idem.*

<sup>3</sup> *Si tamen plures.*] Hoc modo, ut doceat multis suspicionibus & conjecturis verisimile esse à reo factum, deinde etiam factum: alioqui si tractaret ita ut diceret statim à reo esse factum, non esset locus posteriori membro. *Idem.*

in quo factum esse constat aliquid: à quo sit factum, quæritur. Ejus rei supervacuum est ponere exemplum, cum plurima sint hujusmodi judicia: ut si hominem occisum esse manifestum est: vel sacrilegium commissum: is autem qui arguitur fecisse, neget: ex hoc nascitur *ἀντι κατηγορία*. Utique hoc factum esse convenit: quod duo invicem objiunt. <sup>1</sup> In quo quidem genere caussarum admonet Celsus fieri id in foro non posse: quod neminem ignorare arbitror. De uno enim reo consilium cogitur: & si qui sunt qui invicem accusent, alterum iudicium perferre necesse est. Apollodorus quoque *ἀντι κατηγορίας* duas esse controversias dixit: & sunt vera secunda forense jus duæ lites. Potest tamen hoc genus in cognitionem venire senatus, aut principis. <sup>2</sup> Sed in iudicio quoque nihil interest actionum, utrum simul de utroque pronuntietur, an de uno seorsum. Quo in genere semper prior debet esse defensio: Primum, quia natura potior est salus nostra, quam adversarii pernicietas. Deinde, quod plus habebimus in accusatione auctoritatis, si prius de innocentia nostra constiterit. Postremo, quod ita demum duplex causa erit. Nam qui dicit, *ego non occidi*, habet reliquam partem, ut dicat, *tu occidisti*. At qui dicit, *tu occidisti*, supervacuum habet postea dicere, *ego non occidi*. <sup>3</sup> Hæ porro actiones constant *comparatione*: ipsa comparatio non una via ducitur. Aut enim totam causam nostram cum tota adversarii causa componimus, aut singula argumenta cum singulis. Quorum utrum sit faciendum, non potest nisi

<sup>1</sup> *In quo quidem.*] In iudiciis publicis prætor de una lege & uno reo cognoscere solet. cum igitur in *anticategoria* uterque alterum accuset, atque uterque fiat reus, ea species in causis forenses non cadit, quæ astringuntur certis formulis. tamen ita cadere possit *anticategoria* in forum, si crimen rejicias in adversarios, neque reos facias: ut in *causa Roscii*. Idem.

<sup>2</sup> *Sed in iudicio.*] *Judicia publica* certis legum actionibus instituuntur: quæ

res nihil impedit *anticategoriam*, cum actio non mutetur, cum utrobique sit earum actio. Idem.

<sup>3</sup> *Hæ porro actiones.*] Hoc quoque præceptum pertinet ad *collocationem* & *dispositionem*. docuimus autem lib. 3. *anticategoriam* speciem esse causæ comparativæ. ita autem appellatur causa, cum non simpliciter quæritur, sed *ex comparatione* rerum & personarum. Idem.

¶ Nam

nisi ex ipsius litis utilitate cognosci: ut Cicero singula pro Vareno comparat in primo crimine. Est enim superior, cum persona alieni, cum persona matris temere comparetur. Quare optimum est, si fieri poterit, ut singula vincantur à singulis. Sed si quando in partibus laborabimus, universitate pugnandum est: sive invicem accusant, sive crimen reus citra accusationem in adversarium vertit: ut Roscius in accusatores suos, quamvis reos non fecisset: sive in ipsos quos sua manu periisse dicemus, factum deflectitur: non aliter quam in iis quæ mutuam accusationem habent, utriusque partis argumenta inter se comparantur. Id autem genus, de quo novissime dixi, non solum in scholis sæpe tractatur, sed etiam in foro. <sup>1</sup> Nam id est in causa Nævii Apruniani solum quæsitum, *præcipitatane esset ab eo uxor, an se ipsa sua sponte jecisset.* <sup>2</sup> Quam actionem equidem solam in hoc tempus emiseram, quod ipsum fecisse seductum juvenili cupiditate gloriæ fateor. Nam cæteræ quæ sub nomine meo feruntur, negligentia excipientium in quæstum notariorum corruptæ, minimam partem mei habent. <sup>3</sup> Est & alia duplex conjectura, huic *ἀντι κατηγορία* non diversa, de præmiis, ut in illa controversia, *Tyrannus suspectatus à medico suo datum sibi venenum, torfit eum: & cum id dedisse se negaret, accersit alterum medicum: ille datum ei venenum dixit, sed se antidotum daturum: & dedit ei potionem, qua epota tyrannus decessit.* De præmio duo medici contendunt. <sup>4</sup> Nam ut illic factum in adversarium transferentium, ita hîc sibi vindicantium *personæ, causæ, facultates, tempora, instrumenta, testimonia* comparantur. Illud quoque etiam si non est *ἀντι κατηγορία*, simili tamen ratione tractatur, in quo

citra

1 Nam.] Quintiliani oratio prima.

2 Quam.] Quintiliani scripta.

3 Est & alia duplex.] Diximus lib. 3. *per abusum* petitiones etiam diversas appellari *anticategoriam*, ut hoc loco: quanquam forte locus legi debet *sine negatione*, ut in vetustis codicibus, cum

præsertim antea dixerit, etiam illud huic *contrarium*, &c. Turneb.

4 Nam ut illic.] Et *anticategoria* & hæc duplex conjectura efficiunt causam comparativam, quæ tractatur *contentione* circumstantiarum personæ & facti. *Idem.*

citra accusationem quæritur *utrum factum sit*. Utraque enim pars expositionem suam habet, atque eam tuetur: ut in lite Urbiniana *petitor dicit Clusinium Figulum filium Urbiniæ acie victa in qua steterat, fugisse: jactatumque casibus variis, retentum etiam à rege, tandem in Italiam ac patriam suam Marginos venisse, atque ibi agnosci*: Pollio contra, *servisse eum Pisauri dominis duobus, medicinam factitasse, manumissum alienæ se familiæ venali immiscuisse, ac rogantem ut eis serviret, emptum*.<sup>1</sup> Nonne tota lis constat duarum caussarum comparatione, & conjectura duplici atque diversa? Quæ autem accusantium atque defendentium, eadem petentium & inficiantium ratio est.<sup>2</sup> Ducitur conjectura primum à *præteritis*. In his sunt *personæ, caussa, consilia*. Nam is ordo est, ut *facere voluerit, potuerit, fecerit*. Ideoque intuendum ante omnia, qualis sit de quo agitur. Accusatoris autem est efficere, ut si quid objecerit, non solum turpe sit,<sup>3</sup> sed etiam crimini de quo est iudicium, quam maxime conveniat. Nam si *reum cadis, impudicum vel adulterum* vocet, lædat quidem infamia: minus tamen hoc ad fidem valeat, quam si *audacem, petulantem, crudelem, temerarium* ostenderit. Patrono, si fieri poterit, id agendum est, ut objecta vel neget, vel defendat, vel minuat. proximum est, ut à præsentis quæstione separet. Sunt enim pleraque non solum dissimilia, sed etiam aliquando contraria: ut si reus furti, *prodigus* dicatur, aut *negligens*. Neque enim videtur in eundem & contemptus pecuniæ, & cupiditas cadere. Si de erunt hæc remedia, ad illa declinandum est, non de hoc quæri,

<sup>1</sup> Nonne tota lis.] Conjectura duplex perfecta est, quando de duabus personis & duabus rebus est quæstio. Duplex autem imperfecta, aut cum de duabus rebus non de persona, aut cum de personis non de re est quæstio. Idem.

<sup>2</sup> Ducitur conjectura.] Capita conjecturæ complectitur, eorumque dispositionem. primum caput est voluntas, quæ colligitur à personis, causis, & confi-

liis: deinde possibilitas, quæ colligitur à loco, tempore, & occasione: postremum caput est *An fecerit*, quod colligitur ab adjunctis, quæ considerantur in tempore præsentis & futuro. Idem.

<sup>3</sup> Sed etiam crimini, &c.] Argumenta quæ ducuntur à persona, hujusmodi esse debent, ut conducant ad sceleris probationem, nec à scelere dissideant. Idem.



quari, nec eum qui aliquando peccaverit, utique commi-  
 sisse omnia: & hanc fiduciam fuisse accusatoribus falsa ob-  
 jiciendi, quod læsum & vulneratum reum speravere hac in-  
 vidia opprimi posse. <sup>1</sup> Alia propositio est accusatoris, con-  
 tra quam loci oriuntur sæpe à persona, & interim genera-  
 liter, *Incredibile esse à filio patrem, ab uxore virum occisum, ab*  
*imperatore proditam hostibus patriam.* <sup>2</sup> Facile respondetur,  
 vel quod omnia scelera in malos cadant, ideoque sæpe de-  
 prehensa sint: vel quod indignum sit crimina ipsa atrocitate  
 defendi. Interim proprie, quod est varium. Nam dignitas  
 & tuetur reum, & nonnunquam ipsa in argumentum facti  
 convertitur, tanquam inde fuerit spes impunitatis: sed per-  
 inde paupertas, humilitas, opes, ut cuique ingenio vis est,  
 in diversum trahuntur. Probi vero mores, & anteaetæ vitæ  
 integritas, nunquam non plurimum profuerint. Si nihil  
 objicietur, <sup>3</sup> patronus quidem in hoc vehementer incum-  
 bet: accusator autem ad præsentem quæstionem de qua sola  
 iudicium sit, cognitionem allegabit, dicens <sup>4</sup> *neminem non*  
*aliquando cœpisse peccare,* <sup>5</sup> *nec per ἐγκλίσιον ducendum scelus*  
*primum.* <sup>6</sup> Hoc in respondendo. <sup>7</sup> Sic autem præparabit  
 actione prima iudicium animos, ut noluisse potius objicere,  
 quam non potuisse credatur. Eoque fatius est, omni se an-  
 teaetæ vitæ abstinere convitio, quam levibus aut frivolis  
 aut

<sup>1</sup> *Alia propositio.]* Ut si accusator di-  
 ceret à Roscio perpetratum parricidium, de-  
 fensor locum haberet ad solutionem,  
 quod incredibile sit à filio patrem in-  
 terfectum. *Idem.*

<sup>2</sup> *Facile respondetur, &c.]* Circum-  
 stantiæ personarum aut generales sunt,  
 quæ in communitate tractantur: aut  
 speciales, quæ particulariter in unoquo-  
 que conspiciuntur. *Idem.*

<sup>3</sup> *Patronus.]* Ut pro L. Muræna.

<sup>4</sup> *Neminem non aliquando cœpisse.]*  
 Vide Adversar. Turneb. lib. 12. cap. 11.  
 pag. 390.

<sup>5</sup> *Nec per ἐγκλίσιον.]* Haud scio an  
 hic locus sit corruptus, tamen hic effici

potest sensus, ut non debeat crimen impu-  
 ne esse primum peccanti. nam ἐγκλίσιον  
 dicuntur *celebritates* quæ fiunt in dedica-  
 tione templorum, quibus maxima per-  
 mittitur licentia. In aliis codicibus  
 absque præpositione, hoc sensu, *primum*  
*scelus non esse habendum pro re nova,* &  
*fortasse aliud scelus præcessisse.* nam  
 ἐγκλίσιον dicuntur *celebritates* ex inno-  
 vatione templorum. Turneb.

<sup>6</sup> *Hoc in respondendo.]* Sensus est,  
 accusatorem uti posse hoc loco *secunda actio-  
 ne,* qua respondet orationi defensoris. *Idem.*

<sup>7</sup> *Sic autem præparabit actione prima.]*  
 Vide hæc de re Scip. Gentilis Commen-  
 tar. in Apolog. Apulei. pag. 30. &c.

I Calera

aut manifestò falsis reum incessere, quia fides cæteris detrahitur: & qui nihil objicit, omisissè credi potest inaledicta tanquam supervacua: qui vana congerit, confitetur vanum in antea actis argumentum, in quibus vinci quam tacere maluerit. <sup>1</sup> Cætera quæ à personis duci solent, in argumentorum locis exposuimus. Proxima est *ex causis* probatio, in quibus hæc maxime spectantur, *ira, odium, metus, cupiditas, spes*: nam reliqua in has species cadunt. <sup>2</sup> Quorum si quid in reum conveniet, accusatoris est efficere, ad quicquid faciendum causæ valere videantur, easque quas in argumentum sumet, augere. Si minus, illuc conferenda est oratio, aut aliquas fortasse latentes fuisse, aut nihil ad rem pertinere cur fecerit, si fecit: aut etiam dignius esse odio scelus, quod non habuerit causam. Patronus vero quoties poterit, instabit huic loco ut nihil credibile sit factum esse sine causa. Quod Cicero vehementissime multis orationibus tractat: præcipue tamen *pro Vareno*, qui omnibus malis premebatur: nam & damnatus est. At si proponitur *cur factum sit*, aut falsam causam, aut levem, aut ignotam reo dicet. Possunt esse aliquæ interim ignotæ: <sup>3</sup> *an heredem habuerit: an accusaturus fuerit eum à quo dicitur occisus*. Si alia defecerint, non utique spectandas esse causas. Nam quem posse reperiri, qui non *metuat, oderit, speret?* plurimos tamen hæc salva innocentia facere. Neque illud est omittendum, *non omnes causas in omnibus personis valere*. Nam ut alicui sit furandi causa paupertas, non erit idem in T. Curio Fabricioque

<sup>1</sup> *Cætera quæ.*] Hanc Cicero ut multo præstantissimam, sic etiam firmissimam putat: quare Sulpitius victricem probationem vocat.

<sup>2</sup> *Quorum si quid.*] Accusator primum de causis dicit generaliter, quantum illæ valeant ad effectum gignendum: postmodum accedet ad illam causam qua mititur, eamque augebit, ut major esse videatur stimulus efficiendi. Turneb.

<sup>3</sup> *An heredem habuerit.*] Romani

sæpenumero multo ante mortem testamenta faciebant. si igitur accusator hominem interfectum dixerit, propterea quod alium quam reum heredem instituerit, aut adeo ipsum reum, dicere poterit ignotam hanc reo fuisse causam. Idem.

<sup>4</sup> *Speret?*] Aldus addit ex correctione Raphaëlis, *irascatur, cupiat* ut totidem enumerentur perturbationes, quot enumeraverit supra. Idem.

I Nam

cioque momentum, *De caussa prius, an de persona* dicendum sit, quæritur: varieque est ab oratoribus factum: à Cicero-  
ne etiam prælatæ frequentissime caussæ. Sed mihi, si neu-  
tro litis conditio præponderet, secundum naturam videtur  
incipere à *persona*. <sup>1</sup> Nam hoc magis generale est, rector-  
que divisio, aut in nullo crimen credibile, aut in hoc. Po-  
test tamen idipsum, sicut pleraque, vertere utilitas. Nec  
tantum caussæ voluntatis sunt quærendæ: sed interim &  
erroris, ut *ebrietas, & ignorantia*. <sup>2</sup> Nam ut hæc in qualitate  
crimen elevant, ita in conjectura premunt. Et persona  
quidem nescio an unquam utique in uno actu rei possit in-  
cidere, de qua <sup>3</sup> neutra pars dicat: de caussis frequenter  
quæri nihil attinet, ut in adulteriis, in *furtis*: quia illas per  
se ipsa crimina secum habent. Post hæc intuenda videntur  
& consilia; quæ late patent, an credibile sit reum sperare  
id <sup>4</sup> à se scelus effici posse, an ignorari cum fecisset: an et-  
iam si ignoratum non esset, absolvi, vel pœna levi transigi,  
vel tardiore, vel ex qua minus incommodi consecuturus,  
quam ex facto gaudii videretur: an etiam tanti putaverit  
pœnam subire. Post hæc, <sup>5</sup> an alio tempore, & aliter fa-  
cere, vel facilius, vel securius potuerit: ut dicit Cicero *pro*  
*Milone*, enumerans plurimas occasiones quibus ab eo Clo-  
dius impune occidi potuerit. Præterea, cur potissimum in  
illo

<sup>1</sup> *Nam hoc magis.*] Quære possis  
quamobrem generalius esse dicat caput  
quod à *persona* proficiscitur, cum præ-  
sertim ipsa persona nihil sit specialius:  
sed mea sententia id referendum est ad  
*factum*. nam si à *persona* incipias, sub-  
inde per reliqua capita progrediendo,  
propius assumptiva factum contingi-  
mus. *Idem.*

<sup>2</sup> *Nam ut hæc in qual.*] Nam in statu  
*qualitatis* sæpenumero utimur *concessione*,  
ab ignorantia, imprudentia, ebrietate:  
quæ quidem res efficit ut veniam me-  
reamur. contra in *conjectura* hæc mul-  
rum valent ad probandum: ut *si quis*  
*adulterium* neget, dicatque eum quod

ebrius esset, adulterium commisisse.  
*Idem.*

<sup>3</sup> *Neutra pars.*] Hermogenes tamen  
in *lib. de statibus*, quædam ait esse cau-  
sas, in quibus *persona* tractari non po-  
test, cum scilicet utrinque est æqualis  
& par: ut *si duo juvenes divites sese aliqua*  
*de re mutuo accusent*. *Idem.*

<sup>4</sup> *A se scelus effici, &c.*] Hi duo loci  
appellatur à Cornificio *species efficiendi*,  
& *species calandi*. solent enim nos im-  
pellere ad maleficia. *Idem.*

<sup>5</sup> *An alio tempore.*] Hic locus ap-  
pellatur à Cornificio *collatio*, quando  
omnes agendi facultates comparamus.  
*Idem.*

1 Hi

illo loco, illo tempore, illo modo sit aggressus: qui & ipse diligentissime tractatur pro eodem locus. An etiam si nulla ratione ductus est impetu, raptus sit, & absque sententia. Nam vulgo dicitur, *Scelera non habere consilium*. An etiam consuetudine peccandi sit allectus. Excussa prima parte, *an voluerit*: sequitur, *an potuerit*. <sup>1</sup> Hic tractatur locus, tempus: ut furtum in loco clauso vel recluso, frequenti vel solo: tempore vel diuturno, cum testes plures: vel nocturno, cum major difficultas. Inspiciuntur utique difficultates & occasiones, quæ sunt plurimæ, ideoque exemplis non egent. Hic sequens locus talis est, ut si fieri non potuit, sublata sit: si potuit, sequatur quæstio, *an fecerit*. Sed hæc etiam ad animi conjecturam pertinent: <sup>2</sup> nam & ex his colligitur *an speraverit*. Ideo spectari debent & instrumenta, ut Clodii ac Milonis comitatus. <sup>3</sup> Quæstio *an fecerit*, incipit à secundo tempore, id est præsentis: ac deinde conjuncto, hoc est insequentis: quorum sunt *sonus, clamor, gemitus, latitatio, metus*, similia. His accedunt signa, de quibus tractatum est. *Verba etiam & facta*, quæque antecesserunt, quæque insecuta sunt. Hæc aut nostra sunt, aut aliena. Sed verba magis nocent, aut minus. Magis nocent & minus profunt nostra, quam aliena: magis profunt & minus nocent aliena quam nostra. Facta autem interim magis profunt nostra, interim aliena: ut si quid quod pro nobis sit, adversarius fecit. Semper vero magis nocent nostra quam aliena. Est & illa in verbis differentia, quod aut aperta sunt, aut dubia. Seu nostra seu aliena sunt, infirmiora in utrumque sint necesse est dubia: tamen nostra sæpe magis nocent,

<sup>1</sup> *Hic tractatur locus.*] Hic locus pendet ab occasione & opportunitate, quam à loco & tempore petimus, cæterisque instrumentis. *Idem.*

<sup>2</sup> *Nam ex his collig.*] Quando quæritur de animi conjectura, ab opportunitate aut difficultate suspiciones colligimus, *an aliquis voluerit & speraverit.* *Idem.*

<sup>3</sup> *Quæstio an fecerit.*] Duo superiores loci, *an voluerit*, & *an potuerit*, pertinent ad præteritum tempus. *præteritum* autem appellamus, quod factum præcessit, ut *futurum* quod factum est insecutum. ad hunc autem locum maxime pertinet *adjunctorum ratio.* *Idem.*

cent, ut in illa controversia: Interrogatus filius ubi esset pater, dixit, *Ubicunque est, vivit.* at ille in puteo mortuus est inventus. Aliena quæ sunt dubia, nunquam possunt nocere nisi aut incerto auctore, aut mortuo. Nocte audita est vox, *Caveto tyrannicidam:* & interrogatus cujus veneno moreretur, respondit, *Non expedit tibi scire.* Nam si est qui possit interrogari, solvet ambiguitatem. Cum autem dicta factaque nostra defendi solo animo possint, aliena varie refutantur. <sup>1</sup> De uno quidem maxime genere conjecturalium controversiarum locuti videmur, & in omnes aliquid de his cadit. <sup>2</sup> Nam *depositi, furti, credita pecuniæ,* & à facultatibus argumenta veniunt, an fuerit quod deponeretur: & à personis, an illum deposuisse apud hunc, vel huic credidisse credibile sit: an petiorem calumniari, an reum inficiatorem esse, vel furem. Sed etiam in furti reo, sicut in cædis, <sup>3</sup> quæritur de facto, & de auctore. Crediti & depositi duæ sunt quæstiones, <sup>4</sup> sed nonnunquam junctæ, *an datum sit, an redditum.* Habent aliquid proprii, adulterii causæ, <sup>5</sup> quod plerunque duorum discrimen est, & de utriusque vita dicendum: quanquam & id quæritur, an utrunque pariter defendi oporteat. Cujus rei consilium nascetur ex causâ. Nam si adjuvabit pars altera, jungam: si nocebit, separabo. Ne quis autem mihi putet temere excidisse,

<sup>1</sup> De uno quidem.] Quæ antea præcepit Fabius, magna ex parte intelligebantur de causis cædis: nunc autem exequitur quod est pollicitus. nam *lites & controversias* in suos revocat status & in suos locos. *Idem.*

<sup>2</sup> Nam depositi.] Alio est depositi, quando id quod fidei tuæ est commissum, repetitur. porro hæ omnes controversiæ frequenter in conjecturam ideo cadunt, quia nulla possunt honesta ratione defendi, ut tantum superfit inficiatio. *Idem.*

<sup>3</sup> Quæritur de facto, & de auctore.] Nam poterit uti hac divisione, *furtum non factum, & si tamen est factum, non*

*ego feci.* qua quidem divisione antea utebatur Fab. in causa cædis. *Idem.*

<sup>4</sup> Sed nonnunquam junctæ.] Si quidem ita legemus, ita tractabitur quæstio, *Non deposuisti, & si deposuisti, certe reddidi.* In vetustis codicibus aliter legitur, *sed nunquam junctæ,* videturque melior esse sensus. nam in deposito quæri potest aliquando an deposueris, deinde an redditum sit depositum, vix tamen simul. *Idem.*

<sup>5</sup> Quod plerunque duorum, &c.] Idcirco duo sunt defendendi in adulterii crimine, quia lex pariter *adulterum & adulteram* punit, nec sinit adulterum sine adultera interfici & puniri. *Idem.*

*I Codi-*

cidisse, quod plerunque duorum crimen esse adulterium, non semper, dixerim: potest accusari sola mulier incerti adulterii: Munera domi inventa sunt *pecunia*, cujus auctor non extat: <sup>1</sup> *codicilli*, dubium ad quem scripti. <sup>2</sup> In falso quoque ratio similis: Aut enim plures in culpam vocantur, aut unus. Et scriptor quidem semper tueri signatorem necesse habet, signator scriptorem non semper: nam & decipi potuit. His autem qui hos adhibuisse, & cui id factum dicitur, & scriptorem & signatores defendet. Iidem argumentorum loci in causis proditionis & affectatæ tyrannidis. <sup>3</sup> Verum illa scholarum consuetudo ituris in forum potest nocere, quod omnia quæ in themate non sunt, pro nobis ducimus. *Adulterium objicis*, quis testis? quis index? quod pretium? quis conscius? *Venenum*, ubi emi? à quo? quando? quanti? per quem dedi? <sup>4</sup> *Pro reo tyrannidis affectatæ*, ubi sunt arma? quos contraxi satellites? Neque hæc nego esse dicenda, & ipsis utendum pro parte suscepta. Nam & in foro, <sup>5</sup> si quando adversarius probare non poterit, desiderabo. Sed in foro tantum illam facultatem olim desideravimus, ubi non fere causa agitur, ut non aliquid ex his, aut plura ponantur. Huic simile est, quod in epilogis quidam, quibus volunt, liberos, parentes, nutrices accommodant: nisi quod magis concesseris ea quæ non sint posita, desiderare, quam <sup>6</sup> dicere. De animo quo modo quæritur, satis dictum est, cum ita dividerimus, *an voluerit, an potuerit, an fecerit.* <sup>7</sup> Nam qua via tractatur an voluerit, eadem quo animo

<sup>1</sup> *Codicilli.*] *Codicillos* appellat libellos amatorios, & epistolas amatorie scriptas, cujusmodi *duplices* & *triplices* Latini appellant. *Idem.*

<sup>2</sup> *In falso quoque.*] *Crimen est falsi*, quando scripta vel tabulæ adulterantur, supponuntur, depravantur. punitur hoc crimen graviter lege *Cornelia de falsis*. *Idem.*

<sup>3</sup> *Verum illa schol. &c.*] *Declamatores* reprehendit, qui translatis utuntur locis, nec à themate & litis proprietate

ductis. verbi causa, ab Hermogene locus conjecturalis ponitur probationum expetitio, quo semper fere rhetores utuntur, cum tamen hic locus raro cadat in causas forenses, debeatque *declamatio* esse meditatio causarum forensium. *Idem.*

<sup>4</sup> *Pro reo.*] Alii, *Pro Cælio.*

<sup>5</sup> *Si quando.*] Alii, *Aliquando.*

<sup>6</sup> *Dicere.*] Alii, *Adjicere.*

<sup>7</sup> *Nam qua via tractatur, &c.*] Non tamen solum huic conjecturæ utilis est locus

mo fecerit. Id enim est, an male facere voluerit. <sup>1</sup> Ordo quoque rerum aut affert aut detrahit fidem, multo scilicet magis res prout congruunt, aut repugnant. Sed hæc nisi in ipso complexu causarum non deprehenduntur. Quærendum tamen semper, quid cui connectatur, & quid cui consentiat.

*Iocus an voluerit, sed etiam an potuerit. Inde enim (ut antea docuit Fab.) colligitur an speraverit. Turneb.*

<sup>1</sup> Ordo quoque.] Præter superiora dispositionis præcepta, ait ordinem esse

quendam cuiusque rei proprium & nativum, qui pender à naturali quodam rei ductu, nec potest ullis comprehendi præceptis. Hac de re pauca scripsit in cap. de nar. Idem.

C A P. I I I.

De finitione.

SEquitur conjecturam finitio. Nam qui non potest dicere <sup>4</sup> nihil fecisse, proximum habebit ut dicat, non id fecisse quod objicitur. Itaque plerunque legibus iisdem quibus conjectura, versatur, <sup>1</sup> defensionis tantum genere mutato: ut in *furtis, depositis, adulteriis*: Nam quemadmodum dicimus, *non feci furtum, non accepi depositum, non commisi adulterium*: ita, non est hoc furtum, non est hoc depositum, non est hoc adulterium. Interim à qualitate ad finitionem descenditur, <sup>2</sup> ut in actionibus *dementia, mala tractationis, reipub. læsæ*. In quibus si recte facta esse quæ objiciuntur, dici non potest, illud succurrit, Non est hoc dementem esse, male tractare, reipub. lædere. Finitio igitur est rei propositæ propria & dilucida & breviter comprehensa verbis enunciatio. <sup>3</sup> Constat maxime, sicut est dictum genere, specie, differenti-

<sup>1</sup> Defensionis tantum genere mutato.] Nam in conjectura simpliciter factum negatur, in finitione duntaxat facti appellatio: quocirca defensionis genus mutatur. Idem.

<sup>2</sup> Ut in actionibus dementia.] Ex lege Atheniensium, parentes qui paulo negligentius rem familiarem administrabant, ab ejus administratione remove-

bantur. sic filii Sophoclis Sophoclem dementiae accusarunt. Actio autem mala tractationis actio est uxoria, quando ait uxor se à marito male affici, ideoque vult divertere recepta dote. Idem.

<sup>3</sup> Constat maxime.] Docuit Fab. l. 5. his finitionem constare. in quo sane Arist. refragatur, qui definitionem solo genere & differentia constare putat. sed Arist. de phi-

rentibus, propriis, ut si finias equum (noto enim maxime utar exemplo) genus est animal: <sup>1</sup> species, mortale: differentia, irrationale: (nam & homo mortale erat) proprium, hinniens. Hæc adhibetur orationi in pluribus causis. Nam tum est certum de nomine, sed quæritur quæ res ei subjicienda sit: tum res est manifesta, sed de nomine non constat. De re cum dubium est, interim conjectura est: ut si quærat *quid sit deus*. Nam qui id neget, <sup>2</sup> *deum esse spiritum omnibus partibus immistum*, non hoc dicat, falsam esse illius divinæ naturæ appellationem, sicut Epicurus, qui <sup>3</sup> humanam ei formam, locumque inter mundos dedit: sed nomine uterque uno utitur: utrum sit in re, conjectat. Interim qualitas tractatur, ut *quid sit rhetorice, vis persuadendi, an bene dicendi scientia*. Quod genus est in judiciis frequentissimum. Sic enim quæritur, *an deprehensus in lupanari cum aliena uxore, adulter sit*: quia non de appellatione, sed de vi facti ejus ambigitur, an omnino peccarit. Nam si peccavit, non potest aliud esse quam adulter. <sup>4</sup> Diversum est genus, cum controversia consistit in nomine, quod pendet ex scripto, nec versatur in judiciis nisi propter verba, quæ litem generant. *An qui se interficit, homicida sit: an qui tyrannum in mortem compulit, tyrannicida: an carmina magorum, veneficium*. Res enim manifesta est, sciturque non idem esse occidere se, quod alium: non idem occidere tyrannum, quod compellere

de philosophica est loquutus. Boëtius quoque in libello de definitione ait definitionem constare quinque illis quæ prædicabilia vulgo appellantur. *Idem.*

<sup>1</sup> *Species, mortale.*] Id ex opinione Platonis. existimat enim *stellas & corpora cælestia* non solum animalia esse immortalia, sed etiam deos. *Idem.*

<sup>2</sup> *Deum esse spiritum.*] Hæc opinio Pythagoræ est. is enim existimavit deum esse quendam spiritum per omnia commeantem. sic Virg. *Principio cælum & terras, &c.* *Idem.*

<sup>3</sup> *Humanam ei formam.*] Epicurus (ut scribit Cic. lib. primo de natura deorum) *μνογενετες* esse dicit deos, humana tamen figura, eosque locavit in intermundiis. id est, vacuis spatiis inter mundos, quos plures existimabat. *Idem.*

<sup>4</sup> *Diversum est genus.*] Sæpenumero tamen à verbis scripti oritur controversia: quæ res plerosque impulit, ut Cornificium, uti *finitionem* statibus legalibus annumerarent: Fabio tamen est *rationalis*, quanquam lib. 3. eam esse dixit partim *verborum*, partim *verum*. *Idem.*

I. Quan-



pellere ad mortem: non idem carmina, ac mortiferam positionem: quæritur tamen an eodem nomine appellanda sint.  
 1 Quamquam autem dissentire vix audeo à 2 Cicerone, qui permultos secutus auctores dicit *fnitionem* esse de eodem & de altero (semper enim neganti aliquid esse nomen, dicendum quid sit potius) tamen in eandem treis habeo velut species. 3 Nam interim sic convenit quærere, an habendum sit adulterium in lupanari. Cum hoc negamus, non necesse est dicere quid id vocetur, quia totum crimen inficiamur. 4 Interim quæritur, *an hoc furtum, an sacrilegium*: non quia sufficiat non esse sacrilegium, sed quia necesse sit dicere quid sit aliud: quo in loco utrunque finiendum est. 5 Interim quæritur, in rebus specie diversis, an & hoc eodem modo sit appellandum, cum res utraque habeat suum nomen, ut *amatorium, venenum*. 6 In omnibus autem hujus generis litibus quæritur, an etiam hoc: quia nomen de quo ambigitur, utique in alia re certum est. *Sacrilegium est rem sacram de templo surripere*: num & privatam? *Adulterium, cum aliena uxore domi coire*: an & in lupanari? *Tyrannicidium, occidere tyrannum*, an etiam in mortem compellere? 7 Ideoque

1 *Quamquam autem.*] Nihil erat causa quamobrem deberet Ciceronem reprehendere Fabius. nec enim Cic. in *Top.* ait in omni *fnitione* quæri de eodem & alio, sed hanc esse unam *definitionis* formam. est autem ea quæ à dialecticis dicitur *per differentiam*, ut videatur calumniatorem agere Fabius. *Idem.*

2 *Cicerone.*] In *Topicis*.

3 *Nam interim sic convenit.*] Hæc species appellatur ab Hermogene *definitio simplex*. fit enim citra nominis substitutionem, sed alia atque alia afferitur definitio. id est, *ὁρισμὸς & ἀνθορισμὸς*. *Idem.*

4 *Interim quæritur, an hoc furtum, &c.*] Hæc species est definitionis duplicis Hermogeni, ab eoque appellatur *ἀνπρομύλιον*. id est, *pronominans*, quia

loco nominis nomen aliud substituitur. *Idem.*

5 *Interim quæritur in rebus.*] Hæc species ab Hermogene appellatur *definitio per syllepsim*. id est, comprehensionem. differt à secunda, quia in secunda alterum nomen rejicitur, alterum retinetur, in hac utrunque comprehenditur ab altera parte. *Idem.*

6 *In omnibus autem.*] Apud Hermogenem præterea sunt aliæ tres *fnitiones*, quas omisit Fabius. *Idem.*

7 *Ideoquē συλλογισμὸς.*] Maxima est affinitas inter *fnitionem* & *sylogismum*: ideoque cum *definitionem* tueri non possumus, statim ad *ratiocinationem* delabimur. ut si non possimus dicere idem esse *nomen*, rem tamen similem esse ostendemus. *Idem.*

que συλλογισμὸς, de quo postea dicam, velut infirmior est finitio, quia hæc quæritur, an idem sit hujus rei nomen, quod alterius: illo, an perinde habenda sit hac, atque illa. <sup>1</sup> Est & talis finitionum diversitas, ut quidam sentiunt, num idem diversis verbis comprehendatur: ut *rhétorice*, *bene dicendi scientia*, & eadem bene inveniendi, & bene enuncian- di, & dicendi secundum virtutem orationis, & dicendi quid sit officii. Atque providendum, an si sensu non pugnent, comprehensione dissentiant. Sed de his disputatur, non litigatur. Opus est aliquando finitione obscurioribus & ignotioribus verbis, ut quid sit <sup>2</sup> *clarigatio*. Erit & inter- im notis nomine verbis: ut *quid sit penus*, *quid littus*. Quæ varietas efficit, ut eam quidam conjecturæ, quidam quali- tati, quidam legitimis quæstionibus subjecerint. <sup>3</sup> Quibus- dam ne placuit quidem omnino subtilis hæc & ad morem Dialecticorum formata conclusio, ut in disputationibus potius per argumenta verborum cavillatrix, quam in ora- toris officio multum allatura momenti. Licet enim valeat in sermone tantum, ut constrictum in vinculis suis habeat eum qui responsurus est, & vel tacere, vel etiam invitum id quod sit contra cogat fateri: non eadem est tamen ejus in causis utilitas. Persuadendum enim judici est: qui et- iam si verbis devinctus est, tamen nisi ipsi rei accesserit, tacitus dissentiet. <sup>4</sup> Agenti vero quæ tanta est hujus præ- cisæ comprehensionis necessitas? An si non dixero, *homo est animal rationale mortale*, non potero expositis tot corpo- ris

<sup>1</sup> Est & talis finitionum.] Dialectici agnoscunt etiam quindecim finitionum genera. cum igitur ita diversæ res eadem finiatur, quærunt ac disputant contentiosissime, eodemne modo res hac diversitate definiatur. sed hoc nihil ad oratorem pertinet. nam hac de causa lis nunquam oritur in foro. *Idem.*

<sup>2</sup> Clarigatio.] Clarigatio est rerum ablatarum repetitio, quæ fit clara voce à patre patrato. *Idem.*

<sup>3</sup> Quibusdam ne placuit quidem, &c.] Ad si vacat Jan. Gebhard. Crepund. lib. I. cap. II. p. 6.

<sup>4</sup> Agenti vero.] Significat Fabius ora- torem non debere breviter definire, & ea lege quam præscribunt dialectici, sed finitione multo pleniori & copiosiori utendum esse. cujusmodi sunt *descri- ptiones*, quibus potius utuntur oratores. *Turneb.*

ris animique proprietatibus latius oratione ducta vel à diis eum vel à mutis discernere? Quid, quod nec uno modo definitur res eadem, sed latiore, varioque tractatu? ut facit Cicero, ut omnes oratores plerunque fecerunt. Rarissima enim apud eos reperietur illa ex consuetudine philosophorum ducta servitus (est enim certe servitus) ad certa se verba adstringendi. Idque faciendum in libris Ciceronis *de oratore* vetat M. Antonius. Nam est etiam periculosum, cum si uno in verbo sit erratum, *tota causa cecidisse* videamur, optimaque est illa media via, qua utitur Cicero pro Cecinna, *ut res proponatur, verba non periclitentur*. Et enim, recuperatores non ea sola vis est, quæ ad corpus nostrum vitamque pervenit, sed etiam multo major ea quæ periculo mortis injecto, formidine animum perterritum loco sæpe & certo statu dimovet. Aut cum finitionem præcedit probatio, ut in *Philippicis* Cicero Servium Sulpitium occisum ab Antonio colligit, & in Clausula demum ita finit, *Is ei profecto mortem attulit, qui causa mortis fuit*. Non negaverim tamen hæc quoque ut expedit causæ, esse facienda, & si quando firma comprehendi poterit, & brevi complexu verborum finitio, esse id tum elegans, tum etiam fortissimum, si modo erit illa inexpugnabilis. <sup>2</sup> Ejus certus ordo est, quid sit, an hoc sit, & in hoc fere labor major est, ut finitionem confirmes quam ut in rem finitionem applices. In eo, quid sit, duplex opus est. Nam & nostra confirmanda est, & adversæ partis destruenda finitio. Ideoque in schola, ubi nobis ipsis fingimus contradictionem, duos ponere debemus fines, quales utrinque esse optimi poterunt. <sup>3</sup> At in foro providendum, num forte supervacua, & nihil ad causam

<sup>1</sup> *Philippicis.*] Philip. 9.

<sup>2</sup> *Ejus certus ordo est.*] *Dispositionem* capitum finitionis & tractationem ponit Boëtius aliquanto fufius. ait enim primum *definiendum* esse, mox *definitio-*  
*nem confirmandam*, deinde *adversarii*  
*finitionem infirmandam*, postremo *fini-*

*tionem nostram ad speciem deducendam*  
& applicandam. *Idem.*

<sup>3</sup> *At in foro.*] Tractat quædam *fini-*  
*tionis vitia*, quæ tamen non sunt ejus  
duntaxat propria, sed etiam argumen-  
torum reliquorum, ut est apud Cicero-  
nem in *lib. de Inventione*. *Idem.*

fam pertinens, *an ambigua, an contraria, an communis sit finitio*: quorum nihil non accidere agentis culpa potest. Ut recte autem finiamus, ita fiet, si prius in animo constituerimus, quid velimus efficere. Sic enim accommodari ad voluntatem verba poterunt. Atque ut à notissimo exemplo, quo sit res lucidior, non recedamus: *Qui privatam pecuniam de templo surripuit, sacrilegii reus est.* Culpa manifesta. quæstio est, an huic crimini nomen quod est in lege, conveniat. Ergo ambigitur, an hoc sacrilegium sit. <sup>1</sup> Accusator, quia de templo sit surrepta pecunia, utitur hoc nomine. Reus, quia privatam surripuerit, negat esse sacrilegium, sed furtum. Actor ergo ita finiet, *Sacrilegium est surripere aliquid sacri.* Reus ita finiet, *Sacrilegium est surripere aliquid sacri.* Uterque alterius finitionem impugnat. <sup>2</sup> Ea duobus generibus evertitur, si aut falsa est, aut parum plena. Nam illud tertium nisi stultis non accidit, ut nihil ad quæstionem pertineat. Falsa est, si dicas, *Equus est animal rationale*: nam est equus animal, sed irrationale. Quod autem commune cum alio est, desinet esse proprium. Hic reus falsam dicit esse finitionem accusatoris: accusator autem non potest dicere falsam rei. Nam est *sacrilegium, surripere aliquid sacri.* Dicit parum plenam: adjiciendum enim, aut *ex sacro*. Maximus autem usus in approbando refellendoque sine priorum ac differentium, nonnunquam etiam etymologiæ. Quæ tamen omnia, sicut in cæteris, confirmat æquitas, nonnunquam etiam conjectura mentis. Etymologia maxime rara est. Quid enim est aliud *tumulus,*

<sup>1</sup> *Accusator.*] Accusator finitionem sacrilegii sumit à loco, re omiſſa: reus autem finitionem ducit à re, loco omiſſo: jurisconſulti tamen deciderunt hanc controverſiam poſterioribus ſeculis, dixeruntque duntaxat *commune eſſe furtum*, ſi quis rem privatam de loco ſacro ſurripiat. exiſtimant tamen hoc factum aliquanto gravius eſſe puniendum. *Idem.*

<sup>2</sup> *Ea duobus generibus.*] Finitio adverſarii (ut ait Boëtius) bifariam impugnatur, vel à vitis definitionis, vel cum finitionem quidem concedimus, ſed noſtram meliorem comparamus & contendimus. poſterius membrum omiſit Fabius. Porro vitia finitionis ſunt, ſi amplius complectitur, vel ſi minus, aut ſi falſa eſt. addit Cicero, ſi definitio eſt turpis aut inutilis. *Idem.*

*I An*

us, nisi perturbatio tanta, ut major timor oriatur? Unde etiam nomen ductum est *tumultus*. Circa propria ac differentia magna subtilitas: ut cum quæritur, <sup>1</sup> an addictus, quem lex servire, donec solverit, jubet, servus sit: altera pars finit ita, *Servus est, qui est jure in servitute*. Altera, *qui in servitute est eo jure, quo servus*: aut, ut antiqui dixerunt, qui servitutem servit. Quæ finitio etiam si constat æquo; nisi tamen propriis & differentibus adjuvetur, inanis est. Dicit enim adversarius, servire eum servitutem, aut eo jure quo servum. Videamus ergo propria differentiaque liberorum, quæ *libro quinto* leviter in transitu attigeram. *Servus* cum manumittitur, fit libertinus: *addictus* recepta libertate est ingenuus. *Servus* invito domino libertatem non consequetur: *addictus* solvendo, citra voluntatem domini consequetur. <sup>2</sup> *Ad servum* nulla lex pertinet: *addictus* legem habet. <sup>3</sup> *Propria liberi*, quæ nemo habet nisi liber, prænomen, nomen, cognomen, tribum: habet hæc *addictus*. Excusso quid sit, prope peracta est quæstio, an hoc sit. Id enim agimus, ut sit causæ nostræ conveniens finitio. Potentissima autem est in ea qualitas, an amor, an infania. Huc pertinebunt probationes, <sup>4</sup> quas Cicero dicit proprias esse finitionis, *ex antecedentibus, consequentibus, adjunctis, repugnantibus, causis, effectis, similibus*: de quorum argumentorum natura dictum est: <sup>5</sup> Breviter autem pro Cecinna Cicero *initia, causas, effecta, antecedentia, consequentia* complexus

<sup>1</sup> *An addictus, quem lex, &c.*] Cic. pro Flacco. Heraclides quidam Hermippo addictus est, cum judicatum non faceret. *Pith.*

<sup>2</sup> *Ad servum nulla, &c.*] *Servi*, ex sententia jurisconsultorum, *caput non habent*: quocirca jus civile ad eos non pertinet, cum cives non sint, nec proinde lex ulla. *Turneb.*

<sup>3</sup> *Propria liberi.*] *Servi* olim nomen suorum herorum habebant, ut docet Plinius. unde dicebantur *Marcipores, Publipores*. id est, servi Publii, aut Mar-

ci. aut certe nomen intelligit ipsius familiæ & gentis, quod deerat servis. *Idem.*

<sup>4</sup> *Quas Cic. dicit.*] Ex Cic. aliter hic locus est legendus, consequentibus, repugnantibus, adjunctis causis & effectis, ut *adjunctum* non sit loci nomen, sed nomen adjectivum. alioqui *locus ab adjunctis* proprius est conjecturæ, non finitionis. *Idem. Quas Cic. dicit.*] In *Topicis*.

<sup>5</sup> *Breviter.*] Lib. 5.

plexus est: Quid igitur? fugiebant propter metum? Quid metuebant? *Vim videlicet.* Potestis igitur principia negare, cum extrema conceditis? Sed similibus quoque usus est, Quæ vis in bello appellatur, ea in ocio non appellabitur? Sed ex contrario argumenta ducuntur, ut si quæretur *an amatorium, venenum sit necne: quia venenum, amatorium non sit.* Illud alterum genus, quo fit manifestius adolescentibus meis, (meos enim semper adolescentes putabo) hic quoque fictæ controversiæ utar exemplo. *Juvenes qui convivere solebant, constituerunt ut in littore cœnarent. Unius, qui cœnæ defuerat, nomen tumulo quem extruxerant, inscripserunt. Pater ejus à transmarina peregrinatione cum ad littus idem appulisset, lecto nomine suspendit se.* Dicuntur hi causâ mortis fuisse. Hic finitio est accusatoris, Per quem factum, est ut quis perierit, causâ mortis est, *Rei est, Qui fecit quid sciens, per quod perire homini necesse esset.* Remota finitione, accusatori sat est dicere, Causâ mortis fuistis; per vos enim factum est ut homo periret: quia nisi vos illud fecissetis, viveret. Contra, non statim, per quem factum est, ut quis periret, is damnari debet, ut *accusator, testis, iudex rei capitalis.* Nec undecunque causâ fluxit, ibi culpa est: ut si cui quis profectionem suaserit, ut ad amicum accedat trans mare: & is naufragio perierit. Ad cœnam invitarit, & is cruditate illic contracta decefferit. Nec fuit in causâ mortis solum adolescentium factum, sed credulitas senis, & in dolore ferundo infirmitas; denique si fortior fuisset aut prudentior, viveret. Nec mala mente fecerunt: & ille potuit vel ex loco tumuli, vel ex opere tumultuario suspicari non esse monumentum. Quî ergo puniri debent, in quibus omnia sunt homicidæ præter manum? Est interim certa finitio, de qua inter utranque partem convenit: ut <sup>1</sup> Cicero dicit, *Majestas est in imperio, atque in omni populi Romani dignitate.* Quæritur tamen, an majestas minuta sit, ut in causâ Cornelii quæsitum est, sed hic

<sup>1</sup> Ut Cicero.] In Partit.

hîc etiam similis videri potest finitivæ: tamen quia de finitione non ambigitur, judicatio est qualitas, atque ad eum potius statum reducenda, ad cuius forte quadam venimus mentionem, sed & erat ordine proximus locus.

C A P. IV.

De <sup>1</sup> qualitate.

EST autem qualitas alia de summo genere, atque ea quidem non simplex. Nam & qualis sit cujusque rei natura, & quæ forma, quæritur: *an immortalis anima, an humana specie Deus*: & de magnitudine ac numero, *quantus sol, an unus mundus*. Quæ omnia conjectura quidem colliguntur, quæstionem tamen habent in eo, *qualia sint*. Hæc & in suasoriis aliquando tractari solent, <sup>1</sup> *ut si Cæsar deliberet, an Britanniam impugnet: quæ sit Oceani natura, an Britannia insula*, (nam tum ignorabatur) *quanta in ea terra, quo numero militum aggredienda, in consilium ferendum sit*. Eidem qualitati succedunt facienda, ac non facienda: appetenda, vitanda: quæ in suasorias quidem maxime cadunt, sed in controversiis quoque sunt frequentia: hac sola differentia, quia illic de futuris, hîc de factis agitur. <sup>2</sup> Item demonstrativæ partis omnia sunt in hoc statu: factum esse constat: quale sit factum, quæritur. Lis est omnis aut *de premio*, aut *de pœna*, aut *de quantitate*. Igitur primum genus causæ, aut simplex,

<sup>1</sup> *Qualitate.*] Qualitas & ποιότης & ποσότης significant.

<sup>2</sup> *Est autem qualitas.*] Qualitas de summo genere est, in qua quæritur de tota rei natura. adjicit ei etiam quantitatem Fab. Hæc quæstio non solet cadere in causas forenses. Alia est quæstio de rebus qualitati subjectis, ut de honesto & turpi, de utili & inutili, justo & injusto: hæc quæstio in causas deliberativas, demonstrativas, judiciales sæpe cadit. Turnebus.

<sup>3</sup> *Ut si Cæsar.*] Cæsar cum in Galliis esset, resque gereret, naves extruxit, ac

in Britanniam trajecit, hætenus fama & nomine duntaxat cognitam: Britanos aliquot præliis afflixit, regique tributum imposuit, & obsides imperavit. Idem.

<sup>4</sup> *Item demonstrativa.*] Deliberativa materia & demonstrativa maxime continetur qualitate, alii tamen status in eas causas cadere possunt, ut docuit Fab. lib. 3. Trapezuntius certe existimat statum pragmaticum, in quo de faciendo vel non faciendo quæritur, semper cadere in deliberativam materiam. Idem.

plex, aut comparativum. Illic quid æquum, hîc quid æquius, aut quid æquissimum sit, excutitur. Cum de pœna iudicium est, à parte ejus qui causam dicit, aut *defensio est criminis*, aut *imminutio*, aut *excusatio*, aut, ut quidam putant, *deprecatio*. *Defensio* longe potentissima est, qua ipsum factum quod objicitur, dicimus honestum esse. *Abdicatur aliquis, quod invito patre militarit, honores petierit, uxorem duxerit: tuemur quod fecimus.* <sup>1</sup> Partem hanc vocant Hermagorei *ἀντίληψιν* ad intellectum id nomen referentes. Latine ad verbum translatum non invenio: *absolutam* appellant. Sed enim de re sola quæstio, justa sit ea, necne: <sup>2</sup> justum omne continetur natura vel constitutione. Natura, quod sit secundum cujusque rei dignitatem. Hæc sunt *pietas, fides, continentia*, & alia. Adjiciunt & id quod sit par. verum id non temere intuendum est. <sup>3</sup> Nam & vis contra vim, & talia, nihil habent adversum eum qui prior fecit injuste: & non quoniam res pares sunt, etiam id est justum, quod antecessit. Illa utrinque justa, eadem lex, eadem conditio: ac forsitanne sint quidem paria, quæ ulla parte sunt dissimilia. Constitutio est in lege, more, iudicato, pacto. Alterum est defensionis genus, in quo factum per se improbabile, assumptis extrinsecus auxiliis tuemur: <sup>4</sup> id vocant *ἀποσλητικῶν*. Latini hoc quoque non ad verbum transferunt.

<sup>1</sup> Partem hanc vocant Hermag.] Sic quoque appellat Hermogenes, qui in multis est iunitatus Hermagoram. *ἀντίληψις* verti potest ad verbum *defensio*, quoniam factum simpliciter defendimus: Latini *absolutam* vocant *qualitatem*, quia absolute & simpliciter factum tuemur. *Idem.*

<sup>2</sup> Justum omne.] *Justum* est natura, *jus* illud naturale, quod nostris animis sponte est insitum: *justum* constitutione *jus* est illud, quod hominum institutione & legibus continetur. docet ergo Fab. quænam esse debeat tractatio in *qualitate absoluta*. *Idem.*

<sup>3</sup> Nam & vis.] *Vis* contra vim par existimatur, male tamen: nam qui prior vim infert, magis peccat: nec si magistratus aliquis vim illam pari repulerit, effecerit ut non prior ille qui vim fecit peccaverit. Forte tamen hoc loco, talio commode legi possit, quam induxerat lex duodecim tabularum apud Romanos. ejus ea est ratio, ut *si oculus erueris, oculus tibi eruatur*. *Idem.*

<sup>4</sup> Id vocant.] Appellant *ἀντίθεσιν*, id est, *oppositionem*, *ἀποσλητικῶν*, propterea quod adversus factum improbabile quod objicitur, aliquid extrinsecus opponimus. *Idem.*

1 Αντί-



runt. Assumptiva enim dicitur caussa. In quo genere fortissimum est, si crimen caussa facti tuemur, qualis est *defensio Orestis, oratio Milonis*. <sup>1</sup> *ἀντέγκλημα* dicitur, quia omnis nostra defensio constat ejus accusatione, qui vindicatur. *Occisus est, sed latro, exēctus, sed raptor*. Est & ita ex causis facti ducta defensio priori contraria, in qua neque factum ipsum per se, ut in absoluta quæstione defenditur: neque ex contrario facto, sed ex aliqua utilitate aut reip. aut hominum multorum, aut etiam ipsius adversarii, nonnunquam & nostra, si modo id erit quod facere nostra caussa fas sit: quod sub <sup>3</sup> extrario accusatore & legibus agente prodesse nunquam potest, in domesticis disceptationibus potest. Nam & filius pater in judicio abdicationis, & maritus uxori, si malæ tractationis accusabitur, & patri filius, si dementiæ caussa erit, non inverecunde dicet <sup>4</sup> multum sua interfuisse. In quo tamen incommoda vitantis melior quam commoda petentis est caussa. Quibus similia etiam in vera rerum quæstione tractantur. Nam quæ in scholis *abdicatorum*, hæc in foro *exheredatorum* à parentibus, & bona apud consules repetentium ratio est. quæ illic malæ tractationis, hîc <sup>5</sup> rei uxoriæ, cum quæritur <sup>6</sup> utrius culpa divortium factum sit. quæ illic dementiæ, hîc <sup>7</sup> petendi curatoris. <sup>8</sup> Subjacet

<sup>1</sup> *Αντέγκλημα.*] *Αντέγκλημα* verti potest *recriminatio*, à Latinis vertitur *relatio criminis*, quia criminis caussa retorquetur in eum qui passus est. *Idem.*

<sup>2</sup> *Exēctus.*] Cautum est jure civili, ne quis *eunuchus* fiat. id etiam postea vetitum est canonibus sanctorum patrum. *Idem.*

<sup>3</sup> *Extrario accusatore.*] *Extrarium* appellat *accusatorem*, qui nobis consanguineus non est, non domesticus, non familiaris. *lege agere* vocat, ex legum præscripto actionem intendere, aut aliquid petere. *Idem.*

<sup>4</sup> *Multum sua interfuisse.*] Ipsum enim quod interest, dupliciter accipitur: ejus qui incommoda vitat, & qui petit com-

moda. *Pith.*

<sup>5</sup> *Rei uxoriæ.*] *Quæstio est rei uxoriæ*, cum facto divortio disceptatur apud judices de dote. nam si mulieris culpa factum est *divortium*, pars dotis remanet apud virum: sin viri culpa, integra dos recipitur à muliere. *Turneb.*

<sup>6</sup> *Utrius culpa divortium factum.*] *Boëth.* Judicium uxoriæ rei est, quotiens post divortium de dote contentio est. *Pith.*

<sup>7</sup> *Petendi curatoris.*] *Furiosi & dementes* in perpetua sunt cura, neque unquam suorum bonorum sunt domini. *curatores* autem dicuntur, qui tanquam tutores adultis præficiuntur. *Turneb.*

<sup>8</sup> *Subjacet utilitati.*] Non solum est in *comparatione collatio boni majoris*, ve-

rum

jacet utilitati etiam illa defensio, si pejus aliquid futurum fuit. Nam in comparatione malorum, boni locum obtinet levius: ut si Mancinus fœdus Numantinum sic defendat, quod periturus, nisi id factum esset, fuerit exercitus Romanus. Hoc genus <sup>1</sup> ἀντίθεσις Græce nominatur: comparativum nostri vocant. Hæc circa defensionem facti: quæ si neque per se ipsam, neque adhibitis auxiliis dabitur, proximum est in alium transferre crimen, si possumus. Ideoque etiam in hos qui jam scripti sunt status, visa est cadere <sup>2</sup> translatio. Interdum ergo culpa in hominem relegatur: <sup>3</sup> ut si Gracchus reus fœderis Numantini, cujus metu, leges populares tulisse in Tribunatu videtur, missum se ab imperatore suo diceret. Interim derivatur in rem: ut si is qui testamento quid iussus non fecerit, dicat per leges id fieri non potuisse. Hoc <sup>4</sup> μετέθεσις dicunt. <sup>4</sup> Exclufis quoque his, excusatio superest. Ea est aut ignorantia: ut si quis <sup>5</sup> fugitivo stigmata scripserit, eoque ingenue iudicato neget, se liberum eum scisse. Aut necessitatis: <sup>6</sup> ut cum miles ad commeatus diem non affuit, dicit se fluminibus interclusum aut valetudine. Fortuna quoque sæpe substituitur culpæ nonnunquam male fecisse nos, sed bono animo dicimus. Utriusque rei multa & manifesta exempla sunt. Idcirco non

rum etiam *minoris*. nam malum minus si cum graviore comparatur, videtur habere boni momentum. *Idem.*

1 *Αντίθεσις.*] Ne ista quidem dicitio à Latinis transfertur ad verbum. dici tamen potest *obstantia*, quoniam comparato bono obstatimus & resistimus. vox tamen Latina perfectius exponit status vim. *Idem.*

2 *Translatio.*] *Translatio criminis*, quæ *μετέθεσις* dicitur ab Hermagora & Hermogene, est, cum crimen transferimus in rem extraneam aut personam. est & alia *translatio* quæ eludit actionem & transfert: de qua non agimus hoc loco. *Idem.*

3 *Ut si Gracchus.*] Numantini cum Mancino pacem facere noluerunt, nisi

legato Tiberio Graccho: usque adeo Numantini eum amabant. hoc nomine accusatus est Romæ Tiberius, sed ope Scipionis & populi, averfa est tota accusatio à Graccho ad Mancinum. *Idem.*

4 *Exclufis quoque his, &c.*] Appellat Fab. *excusationem*, quam ceteri rhetores appellant *purgationem*, cum fatemur nos male fecisse, sed tamen rejicimus culpam aut in fortunam, aut imprudentiam, aut necessitatem. *Idem.*

5 *Fugitivo stigmata.*] Notæ quædam in fronte *fugitivis* inurebantur. sed & *Thracæ nobiles* frontem suam compungebant *stigmatibus*. id in liberum facere non licebat ex jure civili. *Idem.*

6 *Ut cum miles.*] Miles qui non adest ad diem commeatus, gravissime puniatur, ut *emanfor* & *desertor*. *Idem.*

I Status

non est eorum necessaria expositio. Si omnia quæ supra scripta sunt deerunt, videndum an minui culpa possit. Hic est ille qui à quibusdam dicitur <sup>1</sup> *status quantitatis*. Sed ea cum sit aut *pæne*, aut *honoris*; ex qualitate facti constituitur: eoque nobis sub hoc esse statu videtur: sicut ejus quoque quæ ad numerum refertur à Græcis. nam & *ποσότης*, & *πρόσότης* dicunt, nos utrumque eadem appellatione complectimur. <sup>2</sup> Ultima est *deprecatio*: quod genus causæ plerique negarunt in iudicium unquam venire. Quin Cicero quoque pro Quinto Ligario idem testari videtur, cum dicit, *Causas Casar egi multas, & quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum*: certe nunquam hoc modo, *Ignoscite iudices, erravit, lapsus est, non putavit, si unquam posthac, & cætera*. In senatu vero, & apud populum, & apud principem, & ubicunque juris clementia est, habet locum *deprecatio*. In qua plurimum valet, ex ipso qui reus est, hæc tria in vita præcedere, *si innocens, si bene meritus, si spes in futurum innocenter victuri, & in aliquo usu futuri*: præterea si vel aliis incommodis, vel præsentis periculo, vel pœnitentiæ videatur satis pœnarum dedisse. Extra, *nobilitas, dignitas propinqui, amici*. In eo tamen qui cognoscit, plurimum ponendum, si laus eum misericordis potius quam reprehensio dissoluti consecutura est. Verum & in iudiciis etiam si non toto genere causæ, tamen ex parte magna hic locus sæpe tractatur. Nam & divisio frequens est, etiam si fecisset, ignoscendum fuisse, idque <sup>3</sup> in causis dubiis sæpe prævaluit: & epilogi omnes in eadem fere materia versari solent. Sed nonnunquam etiam reus hic totius summam constituit,

<sup>1</sup> *Status quantitatis*.] Fab. lib. 3. scripsit Theodorum ac plerosque rhetoras Græcos *statum* posuisse *quantitatis*, ejuſque duplicis, continuæ & discretæ. *quantitatem* tamen Fab. subjicit *qualitati*. Idem.

<sup>2</sup> *Ultima est deprecatio*.] Duplex est *deprecatio*, altera in qua posita est tota causa: hæc locum non habet apud eos ju-

dices qui ex legum præscripto judicant. Altera est quæ est pars causæ, ac substituitur defensionis fere semper ante conclusionem aut in conclusione: ea locum habet sæpenumero in *causis forensibus*. Idem.

<sup>3</sup> *In causis dubiis*.] Dubiis argumentis, factumne, an non factum esset.

stituit, <sup>1</sup> *si exheredatum à se filium pater testatus fuerit elogio*: propterea quod is meretricem amaverit. Nam omnis hinc quæstio, an huic delicto pater debuerit ignoscere, & centumviri tribuere debeant veniam. Sed etiam in formulis, cum pœnariæ sunt actiones, nos ita causam partimur, <sup>2</sup> an commissa sit pœna, an exigi debeat. Id autem quod illi viderunt, verum est, reum à iudicibus hoc defensionis modo liberari non posse. *De præmiis* autem quæruntur duo, *an ullo sit dignus* qui petit: *an tanto*: ex duobus, *uter dignior*: ex pluribus, *quis dignissimus*. Quorum tractatus ex ipso meritum genere ducuntur. Et intuebimur non rem tantum, sive alleganda, sive comparanda erit: sed personam quoque. Nam & multum interest, *tyrannum juvenis occiderit*, *an senex: vir*, *an fœmina: alienus*, *an conjunctus*. Et locum multipliciter, in civitate tyrannis assueta, an libera semper: *in arce*, *an domi*. Et quomodo factum sit, *ferro*, *an veneno*. Et quo tempore, *bello*, *an pace*: an cum depositurus esset eam potestatem, an cum aliquid novi sceleris ausurus. Habetur in meritis, gratia, periculum quoque, ac difficultas. Similiter liberalitas à quo profecta sit, refert. Nam in paupere gratior quam in divite, dante beneficium quam redente, patre quam orbo. Item *quam rem* dederit, & *quo tempore*, & *quo animo*: id est, num in aliquam spem suam, similiter alia. <sup>3</sup> Et ideo qualitas, maxima oratoris recipit opera: quia in utranque partem plurimum est ingenio loci, nec usquam tantum affectus valent. <sup>4</sup> Nam conjectura extrinsecus quoque adductas frequenter probationes habet, & argumenta ex materia sumit: & quale quidque videatur,

elo-

<sup>1</sup> *Si exheredatum à se filium.*] Possunt liberi à parentibus exheredari, si flagitiose vivant. liberi tamen præteriti testamento, aut exheredati, post mortem patris habent *actionem inofficiosi testamenti*. Turneb.

<sup>2</sup> *An commissa sit pœna.*] *Committere pœnam* locutio est & phrasis jurisconsultorum, qua significant aliquid esse fa-

ctum propter quod irrogari debeat pœna. *Idem.*

<sup>3</sup> *Et ideo qualitas.*] *Qualitas* maxime est *oratoria*, ideoque Hermogenes in omnibus statibus ponit *qualitatem communem* ad amplificandum. denique à qualitate pendent omnes loci communes. *Idem.*

<sup>4</sup> *Nam.*] *Alii, Etiam.*

eloquentiæ opus est: hîc regnat, hîc imperat, hîc sola vincit. <sup>1</sup> Huic parti subjungit Virginius causas abdicationis, dementiæ, malæ tractationis, <sup>2</sup> orbarum nuptias indigentium. Nam & judicium fere sic accidit, inventique sunt, qui has <sup>3</sup> materias *officiorum* vocarent. Sed alios quoque nonnunquam hæ leges recipiunt status: Nam & conjectura est aliquando in plerisque horum, cum se vel non fecisse, vel bona mente fecisse contendunt. Cujus generis exempla sunt multa. Et quid sit dementia, ac mala tractatio, finitur. <sup>4</sup> Nam juris quæstiones plerunque leges præcurrere solent, & ex quibus causis non <sup>5</sup> fiat statutum. Quod tamen facto defendi non poterit, jure nitetur. Eo quot & quibus causis abdicare non liceat, & in quæ crimina malæ tractationis actio detur, & cui accusare dementiæ non permittatur. <sup>6</sup> Abdicationum formæ sunt duæ: altera criminis perfecti, ut si abdicetur *raptor, adulter*. <sup>7</sup> Altera imperfecti, velut pendentis, & adhuc in conditione positi: *quales sunt in quibus abdicatur filius, qui non pareat patri*. Illa semper asperam abdi-

<sup>1</sup> Huic parti.] Quod in conjectura fecit, ut controversias statui applicaret, idem nunc quoque exequitur in qualitate, sed tamen Virginium reprehendit, qui has causas in qualitate semper cadere existimavit, cum frequenter in alios quoque status incidant. Turneb.

<sup>2</sup> Orbarum nuptias indigentium.] Thema est declamatorium ex lege Atheniensium sumptum. poterat enim apud Athenienses orba propinquum in conjugium petere, ut apparet ex Phormione Terentii. Idem.

<sup>3</sup> Materias officiorum.] Idcirco vocantur *materie officiorum*, propterea quod à faciendis & non faciendis pendent, maximèque à propinquitatis & affinitatis pietate. Idem.

<sup>4</sup> Nam juris quæstiones.] Forte sic legendum, Nam juris plerunque quæstiones præcurrere solent: hoc sensu, ut antequam tractetur status qualitatibus, statum aliquem legalem exequamur, an vide-

licet ita sit lex accipienda. sin hanc sequemur lectionem, leges accipiemus pro controversiis quæ à lege abdicacionis, dementiæ, malæ tractationis proficiuntur. Idem.

<sup>5</sup> Fiat statutum.] Al. Non fiant status.

<sup>6</sup> Abdicationum formæ sunt duæ.] Solebant Græci filios suos ob delictum aliquod abdicare, atque è conspectu remove, & tum filii dicebantur *ἐπιπρωλει & γένος*: quum autem cum patre in gratiam redirent, *ἐναλαμβάνεσθαι εἰς τὸ γένος*. Vide Casaub. ad Diog. Laërtium, & Meurs. Commentar. ad Lyophron. pag. 205. Pareus.

<sup>7</sup> Altera imperfecti.] Appellat *imperfectum crimen*, quod adhuc est in ipso actu, atque etiamnum fit, quod appellat *pendens*, ea ratione qua dicimus reos *pendentes* qui adhuc sunt in reatu, quamquam eorum causa nondum est ad absolutionem aut ad condemnationem perducta. Idem.

1 Patriæ

abdicantis actionem habet, (immutabile est enim quod factum est) hæc ex parte blandam, & suadenti similem. Mavult enim pater *corrigere*, quam *abdicare*. At pro filiis in utroque genere summissam, & ad satisfaciendum compositam. A quo dissensuros scio, qui libenter<sup>1</sup> patris figuram lædunt: quod non ausim dicere nunquam esse faciendum (potest enim materia incidere quæ hoc exigat) cæterum videndum est quoties aliter agi potest. Sed *de figuris* alio libro tractabimus. Non dissimiles autem abdicationum actionibus sunt *mala tractationis actiones*. Nam & ipsæ habent eandem in accusationibus moderationem. *Dementia* quoque *judicia*, aut propter id quod factum est, aut propter id quod adhuc fieri vel non fieri potest, instituuntur: & actor in eo quod factum est, liberum habet impetum: sic tamen, ut factum accuset, ipsius patris tanquam valetudine lapsi misereatur, in eo vero cujus libera mutatio est, diu roget & suadeat, & novissime dementia rationi queratur obstare, non mores: quos quanto magis in præteritum laudaverit, tanto facilius probabit morbo esse mutatos.<sup>2</sup> Reus, quoties causa patietur, debet esse in defensione moderatus, quia fere ira, contentio, & concitatio furori sunt similia. Omnibus his commune est, quod rei non semper defensione facti, sed excusatione ac venia frequenter utuntur.<sup>3</sup> Est enim domestica disceptatio, qua & semel peccasse, & per errorem, & levius quam obijciatur, absolutioni nonnunquam sufficit. Sed alia quoque multa contro-

<sup>1</sup> *Patris figuram.*] *Figuram* appellat Fabius quandam orationis formam, quæ simulationem & colorem quandam habet. fit autem plerumque cum per quandam suspicionem quod non dicimus, accipi volumus: ut *pater simulat se malle filium corrigere, quam abdicare*. hac de re Fabius agit lib. 9. pluribus. *Idem.*

<sup>2</sup> *Reus quoties, &c.*] Pater qui dementia accusatur, oratione submissa & moderata uti debet, quia si in affectus

vehementes prorumperet, oratione se jugularét: ac se furiosum ostenderet. est enim affectus gravior similis furori. *Idem.*

<sup>3</sup> *Est enim domestica.*] Antea docuit Fabius deprecationem per se in forum non cadere, nunc tamen ait quandam veluti superioris dicti interpretationem, eam in causas domesticas cadere interdum; quales sunt *inter filium & patrem, maritum & uxorem*. *Idem.*

I Inju-

controversiarum genera in qualitatem cadunt. <sup>1</sup> *Injuriarum*:  
<sup>2</sup> quanquam enim reus aliquando fecisse negat, plerunque  
 tamen hæc actio factio atque animo continetur. De accu-  
 satore constituendo, quæ judicia *divinationes* vocantur: in  
 quo genere Cicero quidem qui mandantibus sociis <sup>3</sup> Ver-  
 rem accusabat, hac usus est divisione, spectandum à quo  
 maxime agi velint hi quorum de ultione quæritur: à quo  
 minime velit is qui accusatur, frequentissime tamen hæ-  
 sunt quæstiones, *uter majores causas habeat, uter plus industrie  
 aut virium sit allaturus ad accusandum, uter id meliore fide fa-  
 cturus.* Tutelæ præterea: in quo judicio solet quæri, an  
 alia de re quam de calculis cognosci oporteat: <sup>4</sup> *an fides præ-  
 stari debeat tantum*, non etiam consilium & eventus. Cui  
 simile est <sup>5</sup> male gestæ procurationis in foro <sup>6</sup> negotiorum  
 gestorum: nam & mandati actio est. Præter hæc fingun-  
 tur in scholis & <sup>7</sup> scripti maleficii, in quibus aut hoc quæ-  
 ritur, *an scriptum sit*: aut hoc, *an malefium sit*: raro utrun-  
 que. Malæ gestæ legationis apud Græcos & veris causis  
 frequens: ubi juris loco quæri solet, *an omnino aliter agere  
 quam mandatum sit, liceat: & quousque sit legatus*: <sup>8</sup> quoniam  
 aliæ

<sup>1</sup> *Injuriarum.*] In injuriis plerunque  
 est *qualitas*, ut quando quæritur *factum-  
 ne illud sit injuriosum*. plerunque quoque  
 de *animo* quæritur: nam injuria constat  
 affectione facientis. unde *impubes & fu-  
 riosus* injuriam non faciunt. *Idem.*

<sup>2</sup> *Quamquam enim reus, &c.*] Furti  
 item cum factio enim etiam animum fu-  
 ris, furtim exig. Diog. ad L. Aquil. si-  
 gnis testram. *Pith.*

<sup>3</sup> *Verrem.*] Act. I.

<sup>4</sup> *An fidem præstare.*] Apud Cic. in  
 Top. *fidem præstare* interpretantur pro  
*satisficere & fidejussores præbere*. hic tamen  
 simpliciter accipiendum est pro *fideli-  
 ter sese gerere in alicujus rei administratio-  
 ne*: quomodo apud Cic. quoque opti-  
 me acciperetur. *Turneb.*

<sup>5</sup> *Male gestæ procur.*] Quam actio-  
 nem rhetores male gestæ procurationis  
 appellant. *πρᾶγμα* *ἀντι* *ῥητορικῶς* *ὑπο*  
 versantes in

foro, negotiorum gestorum est mandati.  
*Pithæus.*

<sup>6</sup> *Negotiorum gestorum.*] Actio est ne-  
 gotiorum gestorum, ut tradunt juriscon-  
 sulti, quando aliquis ultro vel necessita-  
 te quadam, absentis negotia sine man-  
 dato suscipit. *Turneb.*

<sup>7</sup> *Scripti maleficii.*] *Scriptum malefi-  
 cium* videtur appellare, carmen quod-  
 dam magicum in aliquem compositum.  
 nam & *maleficus* appellamus *mulieres*,  
 incantatrices. forte id accipi possit de  
*famosis libellis*. Quidam interpretantur  
*scriptum malefium*, turpem librum,  
 quemadmodum ajunt Ovidium in exi-  
 lium esse missum quod lascivos amo-  
 rum libros scripsisset: sed hæc interpre-  
 tatio non placet. *Idem.*

<sup>8</sup> *Quoniam aliæ in renunciando sunt.*] *Locus*  
 est sumptus ex septima oratione in  
*Verrem*. nam Hejus à Mamertinis Ro-  
 mam

aliæ in renunciando sunt: ut in hoc qui testimonium in Verrem dixerat post perlatam legationem. Plurimum tamen est in eo quale sit factum reipubl. læsæ. Hinc moventur quidem mille juris cavillationes, *quid sit rempub. lædere, & læseritne, an profuerit: & ab ipso, an propter ipsum læsa sit.* in facto tamen plurimum inest. Ingrati quoque. In quo genere quæritur, *an is cum quo agitur, acceperit beneficium:* quod raro negandum est: ingratus est enim qui negat. *an quantum acceperit, reddiderit:* an protinus qui non reddiderit, ingratus sit: *an potuerit reddere: an id quod exigebatur, debuerit: quo animo sit.* Simpliciores illæ, injusti repudii, sub qua lege controversiæ illud proprium habent, <sup>1</sup> quod à parte accusantis defensio est, & defendentis accusatio. <sup>2</sup> Præterea cum quis rationem mortis in senatu reddit: ubi una quæstio est juris, *an is demum prohibendus sit, qui mori vult, ut se legum actionibus subtrahet.* Cætera qualitatis. Finguntur & testamenta, in quibus de sola quærat voluntate: ut in controversia quam supra exposui, in qua de parte patrimonii quarta, quam pater dignissimo ex filiis reliquerat, contendunt philosophus, medicus, orator. <sup>3</sup> Quod item accidit si orbæ nuptias indicant pares gradu, & si inter propinquos de idoneo quærat. Sed nec omnes mihi persequi materias in animo est (fingi enim adhuc possunt) nec communes sunt earum quæstiones, quia positionibus mutantur. Hoc tantum admiror, Flavius, cujus apud me merito

summa

mam missus legatus ut Verrem laudaret, post laudationem dixit adversus Verrem, publicis Mamertinorum operis ædificatam Verri navem. *Idem.*

<sup>1</sup> *Quod à parte accusantis, &c.] Injusti repudii est actio, quando uxor virum in iudicium vocat, atque se injuria repudiatam fuisse, atque ideo dotem repetit. cum igitur agit in maritum, tuetur probitatem suam: at maritus cum ostendit se iuste repudiasse, accusat uxorem. Idem.*

<sup>2</sup> *Præterea cum.] Thema hoc declamatorium est, ductum à Massiliensium lege, apud quos venenum publice servabatur, quod haurire licebat ei qui in senatu rationem mortis suæ reddidisset. Vide Valer. lib. 2. Idem.*

<sup>3</sup> *Quod item accidit.] Hoc thema declamatorium est ductum ex lege Atheniensium, apud quos appellatur ἐπι-κλήτης virgo, quæ sola hæreditatem obtinet cum sit orba. jus autem erat ut cognati & propinqui ejus nuptias peterent. Idem.*

<sup>1</sup> *Quan-*



summa est auctoritas, cum artem scholæ tantum componeret, tam anguste materiam qualitatis terminasse. <sup>1</sup>Quantitas quoque (ut dixi plerunque) etiam si non semper, tamen plerunque eidem subjacet, seu modi est, seu numeri. Sed modus aliquando constat æstimatione facti, *quanta sit culpa, quantumve beneficium*: aliquando jure, cum id in controversiam venit, qua quis lege puniendus, vel honorandus sit. <sup>2</sup>*Stuprator an decem milia dare debeat, quæ pœna huic crimini constituta est: an quia stupratus se suspendit, capite puniri, tanquam causa mortis.* Quo in genere falluntur qui ita dicunt, tanquam inter duas leges quærat. Nam de decem millibus nulla controversia est, quæ nec petuntur. Judicium redditur, *an reus causa sit mortis.* In conjecturam quoque eadem species cadit: quum, perpetuo, an quinquennali sit exilio multandus, in controversiam venerit: num prudens cædem commiserit, quæritur. Illa quoque quæ ex numero ducitur, pendet ex jure: *an* <sup>3</sup>*Thrasymbulo triginta premia debeantur*: & cum duo fures pecuniam abstulerunt, <sup>4</sup>*separatim quadruplum quisque, an duplum debeat.* Sed hîc factum quoque estimatur, & tamen jus ipsum pendet ex qualitate.

## CAP.

<sup>1</sup> *Quantitas quoque.*] Nonnulli theotres *quantitatem à qualitate* separant, Fab. cum *qualitate* conjungit: quod tamen ita est accipiendum, ut in *quantitate* nonnunquam de conjectura quærat, etsi sæpius ad *qualitatem* est referenda. *Idem.*

<sup>2</sup> *Stuprator an decem, &c.*] Phrasis hæc est Latinis peculiaris, in qua subintelligere debemus *assium* vel *eris*. hæc autem summa efficit *centum coronatos*. *Idem.*

<sup>3</sup> *Thrasymbulo.*] Qui sustulit triginta tyrannos qui à Lacedæmoniis urbi Athenarum impositi fuerant. pendet autem controversia *ex lege* quæ tyrannicidæ præmium decernit. *Idem.*

<sup>4</sup> *Separatim quadruplum.*] Ex jure civili *fur manifestarius* quadruplum solvere debet, *non manifestarius* duntaxat duplum. si duo igitur cum furarentur pecuniam, deprehensi sunt, quæstio est an uterque *quadruplum* solvere debeat. *Idem.*

Mm 2

Non

## C A P. V.

## De actionis questione.

6 **Q**ui neque fecisse se negabit, neque aliud esse quod fecerit, dicet, neque factum defendet, necesse est in suo jure consistat: in quo plerunque actionis est questio: quæ non semper eadem est, ut quidam putaverunt. Nam & judicium antecedit, qualia sunt præturæ curiosa consilia, cum de jure accusatoris ambigitur: & in ipsis frequentissime judiciis versatur. <sup>1</sup> Est enim duplex ejus disceptationis conditio, quod aut intentio, aut præscriptio habet controversiam. <sup>2</sup> Ac fuerunt <sup>3</sup> qui præscriptionis statum facerent, tanquam ea non iisdem omnibus, quibus cæteræ leges, quæstionibus contineretur. <sup>4</sup> Cum ex præscriptione lis pendet, de ipsa re quæri non est necesse. Ignominioso patri filius præscribit: de eo solo judicatio est, *an liceat*. Quoties tamen poterimus, efficiendum est ut de re quoque beneficiat. Sic enim juri nostro libentius indulgebit, <sup>5</sup> ut in spon-

**N**on est sibi contrarius Fabius. quam enim lib. 3. translationis statum sustulit, quem nunc inducere videtur quasi immemor sui, non tamen inducit ut statum principalem, sed ut quæstionem quandam & statum minorem. Eius duplex est conditio: nam aut *translatio* fit ante constitutum judicium, ut si *mecum litem contestari velis, dicamque te non habere jus in me agendi*. nonnunquam vero non ante ipsum judicium, sed in ipso judicio versatur, ut in oratione pro Cluentio. Turneb.

<sup>1</sup> Est enim duplex.] Alciatus jurisconsultus hunc locum sic interpretatur, *Exceptio* est intentionis, quando aliquid opponitur transferendo, quod directo intentioni repugnat. est autem *præscriptio*, cum non recte perimitur intentio, sed aliquo casu limitatur & restringitur. Idem.

<sup>2</sup> Ac fuerunt.] Vel ex hoc liquet, Fabio non esse statum translationem, sed

duntaxat quæstionem quandam: itaque in præscriptione reperiuntur omnes status legales. Vide Fab. lib. 3. cap. 8. *An non præscriptiones, &c.* Idem.

<sup>3</sup> Qui præscriptionis statum.] Ut aut de nomine aut scripto & sententia vel ratiocinatione quæraratur, deinde status ex quæstione oriatur. Pith.

<sup>4</sup> Cum ex præscriptione.] In præscriptione cum ex circumstantia & aliquo casu fiat intentionis elusio, si voles de intentione quæ principalem continet causam, nihil dices, sed duntaxat de circumstantia quæ translationem continet. ut si ignominiosus pater vellet te abdicare, ejus actionem submoveres, quia ignominiosus esset, de sola si velles ignominia diceres, non de abdicatione. Turneb.

<sup>5</sup> Ut in sponsonibus.] Interdicta prætoris sæpenumero fiunt de possessionibus, ut docet Justinianus. igitur si quis abs te petat fundum, utarisque præscriptione, dicens non posse in te actionem hoc

sponsionibus quæ ex interdictis fiunt, etiamsi non proprietatis est quæstio, sed tantum possessionis: tamen non solum possedisse nos, sed etiam nostrum possedisse docere oportebit. Sed frequentius etiam quæritur de intentione. *Vir fortis optet quod volet.* nego illi dandum quicquid optaverit: non habeo præscriptionem, sed tamen voluntate contra verba præscriptionis modo utor. <sup>1</sup> In utroque autem genere status idem fit. <sup>2</sup> Porro lex omnis aut tribuit, aut adimit, aut punit, aut jubet, aut vetat, aut permittit. Litem habet, aut propter se ipsam, aut propter alteram. Quæstio est aut in scripto, aut in voluntate. In scripto, aut apertum est, aut obscurum, aut ambiguum. Quod de legibus dico, idem accipi volo de testamentis, pactis, stipulationibus, omni denique scripto: idem de voce. Et quoniam quatuor hujus generis quæstiones vel status facimus, singulos percurram.

hoc nomine institui, quod diu fundum possederis, optimum tamen erit ut etiam te *proprietarium* ostendas, nec solum te possessionis jure tuearis. *Idem.*

<sup>1</sup> *In utroque autem genere.*] Ex hoc quoque loco apparet non in translatione esse *statum*, sed *statum* exoriri ex *causis translationis*. itaque in eam *transla-*

*eionem* quæ intentionis oppugnatione constat, cadunt quatuor status legales, ut in præscriptionem. *Idem.*

<sup>2</sup> *Porro lex omnis.*] Hæc præcepta præparationem habent quandam *ad status legales*, pertinent tamen quadantenus ad actionis quæstionem, quoniam ea à jure ducitur. *Idem.*

## CAP. VI.

*De statu ex scripto & voluntate.*

**S**cripti & voluntatis frequentissima inter consultos quæstio est, & pars magna controversiæ juris hinc pendet: quo minus id in scholis accidere mirum est, ubi etiam ex industria fingitur. Ejus genus unum est, in quo & de *scripto* & de *voluntate* quæritur. Id accidit, cum est in lege aliqua obscuritas, & in ea aut uterque suam interpretationem confirmat, aut adversarii subvertit: ut hîc, *Fur quadruplum solvat.* duo surripuerunt pariter decem millia, petuntur ab utroque quadragena, illi postulant ut vicena conferant.

M m 3

Nam

Nam & actor dicit hoc esse quadruplum quod petat, & rei hoc quod offerant: voluntas quoque utrinque defenditur. <sup>1</sup> Aut cum de altero intellectu certum est, de altero dubium. *Ex meretrice natus, ne concionetur.* Quæ filium habebat, prostare cœpit. Prohibetur adolescens concione. Nam de ejus filio, quæ ante partum meretrix fuit, certum est: an eadem hujus causa sit, dubium est, quia ex hac natus, & hæc meretrix est. <sup>2</sup> Solet & illud quæri, quo referatur quod scriptum est, *Bis de eadem re ne sit actio.* id est, hoc bis, ad actorem, an ad actionem. Hæc ex jure obscuro. Alterum genus est ex manifesto: quod qui solum viderunt, hunc *statum plani & voluntatis* appellaverunt. In hoc altera pars scripto nititur, altera voluntate. Sed contra scriptum tribus generibus occurritur. Unum est, in quo id servari semper non posse ex ipso patet. *Liberi parentes alant, aut vinciantur.* Non enim alligabitur infans. <sup>3</sup> Hinc erit ad alia transitus, & divisio, num quisquis non aluerit, num hic. <sup>4</sup> Propter hoc proponunt quidam tale genus controversiarum, in quo nullum argumentum est quod ex lege ipsa peti possit, sed de eo tantum de quo lis est, quærendum sit. *Peregrinus si murum ascenderit, capite puniatur.* Cum hostes murum ascendissent, peregrinus eos depulit. petitur ad supplicium. Non erunt hinc separatæ quæstiones, an quisquis, an hic: quia nullum potest afferri argumentum contra scriptum vehementius eo quod in lite est: sed hoc tantum, an ne servandæ quidem civitatis causa. Ergo & æquitate

<sup>1</sup> *Ut cum de.]* Hoc genus discrepat ab altero, quod illic uterque intellectus in dubium revocabatur: hic alter est confessus, alter autem vocatur in dubium, & controversiam efficit. *Turneb.*

<sup>2</sup> *Solet & illud.]* Hinc dubitatio oritur, quia duplex esse potest sensus: aut enim significatur eundem bis in aliquem esse non posse auctorem, aut bis in eundem actionem non esse iterandam. *Idem.*

<sup>3</sup> *Hinc erit ad alia, &c.]* Docet ra-

tionem dispositionis in hac quæstione: quam tamen celeriter percurrit, quoniam de ea fufius est locutus primo cap. lib. 7. estque illic generalia præcepta complexus. *Idem.*

<sup>4</sup> *Propter hoc.]* In superiore exemplo ab ipsa lege & extrinsecus duci poterant quæstiones generales, ut, *non quisquis aluerit:* in hac autem controversia quæstio generalis à lege duci non potest, quia lex ipsa satis circumscribit rem. *Idem.*

*1 Fieri*

tate & voluntate pugnandum. <sup>1</sup> Fieri tamen potest, ut ex aliis legibus exempla ducamus, per quæ appareat semper stari scripto non posse, ut Cicero *pro Cecinna* fecit. Tertium, cum in ipsis verbis legis reperimus aliquid per quod probemus aliud legumlatorem voluisse: ut in hac controversia. *Qui nocte cum ferro deprehensus fuerit, alligetur. Cum annulo ferreo in pentum magistratus alligavit.* <sup>2</sup> Hic quia est verbum in lege *deprehensus*, satis etiam significatum videtur non contineri lege nisi noxium ferrum. Sed ut qui voluntate nitetur, scriptum quoties poterit infirmare debet: ita qui scriptum tuebitur, adjuvare se etiam voluntate tentabit. In testamentis & illa accidunt, ut voluntas manifesta sit, scriptum nihil sit: ut in iudicio Curiano, in quo nota L. Crassi & Scævola fuit contentio. <sup>3</sup> *Substitutus hæres erat, si posthumus ante tutela sua annos decepsisset.* Non est natus. Propinqui bona sibi vendicabant. Quis dubitaret, quin ea voluntas fuisset testantis, ut is non nato filio hæres esset, qui mortuo? sed hoc non scripserat. Id quoque, quod huic contrarium est, accidit nuper, ut esset scriptum quod apparet scriptorem noluisse: Qui <sup>4</sup> sestertiūm nummūm quinque milia legaverat, cum emendaret testamentum, sublatis sestertiis numis, <sup>5</sup> argenti pondo posuit, quinque milia remanserunt. Apparuit tamen <sup>6</sup> quinque pondo dari voluisse, quia ille in argento legato modus & inauditus erat, & in-

<sup>1</sup> *Fieri tamen potest.*] Locus est hic frequentissimus adversus *scriptum*, ut exemplis fictis doceamus *scripto* stari non posse: sed illa exempla vel à lege ducuntur, de qua controversia est, vel ab aliis extrinsecus legibus. in hac autem controversia ab aliis legibus, non ab ipsa lege, ut diximus. *Idem.*

<sup>2</sup> *Hic quia est verbum.*] Verbum *Deprehendi* apud Latinos in malam semper partem accipitur, cum quis scilicet in scelere aut facinore deprehenditur. inde igitur colligitur sententia legislatoris. *Idem.*

<sup>3</sup> *Substitutus hæres.*] Hæc est *substitutio pupillaris*, quando primo hæredi alius substituitur hæres, si mortuus fuerit ante pubertatis annos. *Idem.*

<sup>4</sup> *Sestertium nummum.*] Hæc summa efficit centum viginti coronatos. *Idem.*

<sup>5</sup> *Argenti pondo.*] Hæc summa efficit quinquaginta millia coronatorum. igitur ex magnitudine summæ collecta est testatoris voluntas. *Idem.*

<sup>6</sup> *Quinque pondo.*] Hæc summa efficit quinquaginta coronatos. nam libram argenti sive pondo pro decem coronatis accipimus. *Idem.*

M m 4

I Scripso

credibilis. Sub hoc etiam statu generales sunt quæstiones,  
<sup>1</sup> *scripto, an voluntate standum sit: quæ fuerit scribentis voluntas.*  
<sup>2</sup> Tractatus omnes qualitatis aut conjecturæ, de quibus factis dictum arbitror.

<sup>1</sup> *Scripto an voluntate.*] Scripti & voluntatis quæstio sine dubio qualitate aut  
 conjectura continetur. *Pitb.*  
<sup>2</sup> *Tractatus.*] Alii, *Status.*

## C A P. VII.

## De contrariis legibus.

**8** Proximum est de legibus contrariis dicere, quia inter omnes artium scriptores, <sup>1</sup> constat in *antinomia* duos esse scripti & voluntatis status: neque immerito: quia cum lex legi obstet, <sup>2</sup> utrinque contra scriptum dicitur, & quæstio est de voluntate: in utraque id ambigitur, an utique illa lege sit utendum. Omnibus autem manifestum est, nunquam esse legem legi contrariam jure ipso: quia si diversum jus esset, alterum altero abrogaretur: sed eas casu collidi, & eventu. Colliduntur autem aut pares inter se: *ut si optio tyrannicida & viri fortis comparentur, utrique data quod velit petendi potestate, hic meritorum, temporis, præmii collatio est.* <sup>3</sup> Aut secum ipsæ, ut duorum fortium, duorum tyrannidarum, duarum raptarum: in quibus non potest esse alia quæstio quam temporis, *utra prior sit: aut qualitatis, utra justior sit petitio.* <sup>4</sup> Diversæ quoque leges configunt, aut

Cum in *antinomia* utraque pars legem afferat suam, duplex est scriptum sed pro sententia legis observanda utriusque quoque oppugnatur. est igitur duplex *scriptum & sententia*. Jurisperiti quoque hodie ajunt nullam esse in jure civili *antinomiam*: quod testatur etiam Justinianus. Budæus tamen & Laurentius Valla *leges* quasdam esse *contrarias* probant, ut in illis colligendis dormitaverit Trebonianus. Cæterum si *lex legi contraria est*, altera alteram necessario abrogat, eratque curæ Atheniensibus,

ne quid esset legi contrarium. Turneb.

<sup>1</sup> *Constat.*] Alii, *Constitit.*

<sup>2</sup> *Utrinque contra scriptum.*] Duo sunt duorum scriptorum, duarumque voluntatum status. *Pitb.*

<sup>3</sup> *Aut secum ipsæ.*] Est enim lex apud declamatores, *ut rapta eligat raptoris indotata nuptias, aut mortem.* si quis igitur eadem nocte duas rapuerit, quarum altera nuptias optet, altera mortem, *antinomia* erit. Turneb.

<sup>4</sup> *Diversæ.*] *Diversus* appellat *leges*, quæ

aut similes. Diversæ, quibus etiam citra adversam legem contradici possit: ut in hac controversia, *Magistratus ab arce ne discedat: Vir fortis optato quæ volet:* <sup>1</sup> vel alia nulla obstante, quæri potest an quicquid optari, accipere debeat: & à magistratu multa dicentur, quibus scriptum expugnatur, *Si incendium in arce fuerit, si in hostes recurrendum.* Similes, contra quas nihil opponi potest, nisi lex altera. <sup>2</sup> Tyrannicidæ imago in gymnasio ponatur: contra, mulieris imago in gymnasio ne ponatur. Mulier tyrannum occidit. Nam neque mulieris imago ullo alio casu poni potest, neque tyrannicidæ ullo alio casu summoverti. Impares sunt, cum alteri multa sunt quæ opponi possunt, alteri nihil nisi quod in lite est: ut cum vir fortis <sup>3</sup> impunitatem desertoris petit. Non contra legem viri fortis (ut supra ostendi) multa dicuntur: adversus desertores scripta, non potest nisi optione subverti. Item aut confessum est ex utraque parte jus, aut dubium: Si confessum est, hæc fere quærentur: <sup>4</sup> *Utra lex potentior: ad deos pertineat, an ad homines: ad rempublicam, an ad privatos. De honore, an de pœna: De magnis rebus, an de parvis:* <sup>5</sup> *Permittat, an vetet, an imperet.* \* Solet tra-

ctari

quæ etiam si non habeant legem oppositam, tamen quod attinet ad scriptum, oppugnari possunt contrariis argumentis. porro *antinomie* exemplum erit, si magistratus qui fortiter fecit, petat ut ab arce discedat. *Idem. Diverse quoque leges.* Persequitur enim earum genera quæ secum ipsæ conflagunt. Quarum alias utraque pars pro se sunt, alias pars altera tantum neque uterque pro se sunt. sed lex æquitate oppugnatur. *Pith.*

<sup>1</sup> *Vel alia nulla, &c.* Vel alia nulla obstante, non erat in vetusto codice Similes.

<sup>2</sup> *Tyrannicidæ imago.* Hæc lex pertinet ad fortitudinem hominum excitandam. nam in gymnasiis exercentur juvenes & athletæ, quibus exemplum potest esse fortitudinis *statua tyrannicidæ.* contra vero *mulieris imago* non ponitur in gymnasio, ut tollatur omnis inde

mollicia & lascivia, quæ solent animos effœminare. sunt autem hæc *leges declamatoriæ.* Turneb.

<sup>3</sup> *Impunitatem desertoris.* Desertor est (ut inquit Modestinus) qui diu evagatus tandem in castra reducitur. Puniantur autem *desertores* sæpenuerò capitali pœna. *emansor* dicitur qui sponte revertitur. *Idem.*

<sup>4</sup> *Utra lex potentior.* Hæc ad tractationem pertinent, qua cognita facile intelligitur disponendi ratio ex superioribus præceptis. Valet igitur *legum comparatio.* lex enim quæ pertinet ad deos aut ad rempublicam, magis est servanda quam quæ pertinet ad homines. hujusmodi igitur erit tractatio in hoc statu. *Idem.*

<sup>5</sup> *Permittat an vetet.* Lex quæ *vetat* aut *imperat*, semper est potentior, quam ea quæ *permittit* aut *tribuit*: in tractando

M m 5

igitur

ctari & ultra sit antiquior, & velut potentissima, ultra minus perdat: ut in desertore, & viro forti, quod illo non occiso lex tota tollatur: occiso, sit reliqua viro forti alia optio. Plurimum tamen est in hoc, utrum fieri sit melius, atque æquius: de quo nihil præcipi nisi proposita materia potest. Si dubium, aut alteri, aut invicem utrique de jure sit controversia, ut in re tali, <sup>1</sup> *Patri in filium, patrono in libertum manus injectio sit, liberti heredem sequantur.* <sup>2</sup> *Liberti filium quidam fecit heredem, invicem petitur* <sup>3</sup> *manus injectio: & patronus negat jus patris illi fuisse, quia ipse in manu patroni fuerit. Duplices leges sicut duæ colliduntur: ut, Notus ante legitimus natus, legitimus sit post legitimus, tantum civis. Quod de legibus, idem de senatusconsultis dictum: quæ si aut inter se pugnent, aut obstant legibus, non tamen aliud sit ejus status nomen.*

igitur est habenda ratio hujus comparationis. *Idem.*

\* *Solet tractari.]* Videtur innuere Fabius potentiorē esse legem antiquiorem nova, cum tamen aliter sentiant jurisconsulti, apud quos sequentes constitutiones abrogant legem antiquam: & alioqui apud antiquos dicebantur *abrogationes*, quando lex contraria ferebatur superiori, ad eam tollendam addit Fab. præceptum de *abrogatione & derogatione.* *Idem.*

<sup>1</sup> *Patri in filium, &c.]* Manum injicere est jurisconsultis, non expectata ju-

dicis auctoritate aut potestate, rem ut sibi debitam aut propriam vindicare, quod lingua vernacula dicimus *sifire.* Porro ex jure Romano patres magnam habent in filios potestatem, ut apparet ex titulo *De patria potestate.* *Idem.*

<sup>2</sup> *Liberti filium.]* Idem enim est patronus & liberti filius: libertus & patroni pater. *Publ.*

<sup>3</sup> *Manus injectio.]* Serv. in illud: *Injicere manum.* Manus injectio dicitur quotiens nulla judicis auctoritate expectata rem nobis debitam vendicamus. *Idem.*

## C A P. VIII.

### De syllogismo seu ratiocinatione.

9 <sup>1</sup> *Syllogismus* habet aliquid simile scripto & voluntati, quia semper pars in eo altera scripto nititur: sed hoc interest,

<sup>1</sup> *Syllogismus.]* *Syllogismus* est, cum res quæ in controversiam deducitur, scripto caret, tamen ex similitudine scripto applicatur. ceterum quoniam

illa applicatio constat *ratiocinatione*, factum est ut diceretur *syllogismus*, id est *ratiocinatio.* *Turneb.*

<sup>1</sup> *Ejus*



est, quod illic contra scriptum dicitur hic super scriptum: illic qui verba defendit, hoc agit, ut fiat utique quod scriptum est: hinc ne aliud quam scriptum est. <sup>1</sup> Ejus nonnulla etiam cum *finitione* conjunctio. Nam sæpe si *finitio* infirma est, in *syllogismum* delabitur. Sit enim lex, *Venefica capite puniatur. Sæpe secubanti amatorium dedit, eundem repudiavit: per propinquos rogata ut rediret, non est reversa. suspendit se maritus. Mulier veneficii rea est.* Fortissima est actio dicentis amatorium venenum esse, id erit *finitio*: quæ si parum valebit, fiet *syllogismus*: ad quem velut remissa priore contentione veniemus, *an perinde puniri debeat, ac si virum veneno necasset.* Ergo hic status ducit ex eo quod scriptum est, id quod incertum est: quod quoniam ratiocinatione colligitur, *ratiocinativus* dicitur. In has autem fere species venit, *An quod semel jus est, idem & sæpius.* <sup>2</sup> Incesti damnata, & præcipitata de faxo, vixit, repetitur. An quod in uno, & in pluribus: *Qui duos uno tempore tyrannos occidit, duo præmia petit.* An quod ante, & postea: *Raptor profugit, rapta nupsit, reverso illo petit optionem.* An quod in toto, idem in parte: <sup>3</sup> *Aratrum accipere pignori non licet: vomerem accipit.* An quod in parte, idem in toto: <sup>4</sup> *Lanas vehere Tarento non licet, oves vexit.* In his *syllogismis* scripto alter nititur, alter non satis cautum esse dicit. Postulo ut præcipitetur incesta, lex est: & rapta optionem petit, & in ove lanæ sunt: similiter alia. Sed quia

<sup>1</sup> *Ejus nonnulla.]* Maxima est affinitas inter *syllogismum* & *finitionem*. *finitio* colligit utriusque rei idem esse nomen, *syllogismus* colligit rem utranque ex æquo esse æstimandam. quocirca cum *finitionem* obtinere non possumus, ad rerum æqualitatem descendimus & paritatem, id est *syllogismum*. Idem.

<sup>2</sup> *Incesti damnata.]* Olim *incesti damnatae* apud Romanos vel *desodiebantur*, vel sæpenumero de Saxo Tarpejo præcipitabantur, quæ solennis erat apud Rom. pœna. Idem.

<sup>3</sup> *Aratrum accipere.]* Juris clementia est cautum, ne id quod *creditori* minimo

esset emolumento, *debitori* vero maximo detrimento, in pignus cedat, cujusmodi est *aratrum*, quo solent agricolæ magna ex parte vitam tolerare, & familiam sustinere. Idem.

<sup>4</sup> *Lanas vero Tarento.]* Columella lib. 2. ait *pecus Græcum*, quod *Tarentinum* dicitur, mollissimam & delicatissimam ferre lanam. quo igitur tempore *Tarentini* florebant, neque Romanis erant subditi, cum essent cultus delicatioris studiosiores, hanc tulerunt legem, vel certe hæc lex ficta est à declamatoribus. Idem.

<sup>1</sup> *Sæpius.]*

quia responderi potest, non est scriptum ut <sup>1</sup> sapius præcipitur damnata, aut quodcumque rapta optet, aut tyrannicida duo præmia accipiat, nihil de vomere cautum, nihil de ovibus: ex eo quod manifestum, colligitur quod dubium est. <sup>2</sup> Majoris pugnae est, ex scripto ducere quod scriptum non est. *Qui patrem occiderit, culeo insuatur, matrem occidit.* <sup>3</sup> *Ex domo in jus educere ne liceat: tabernaculis educit.* In hoc genere hæc quærentur. <sup>4</sup> An quoties propria lex non est, simili sit utendum: an id de quo agitur, ei de quo scriptum est, simile sit. Simile autem & inajus est, & pars, & minus. In illo priore, an satis lege cautum sit, an & si parum cautum est: hac sit utendum. In utroque de voluntate legumalatoris, sed de æquo tractatus potentissimi.

<sup>1</sup> *Sapius.*] Alii, *Bis.*

<sup>2</sup> *Majoris pugnae est.*] In superioribus exemplis colligebatur quidem quod scriptum non erat *ex scripto*, sed tamen id quod scriptum non videbatur, quantumtenus *scripto* comprehensum videbatur: ut oves aliquatenus comprehensæ videntur in lege *de lanis*. at hic nullo modo continetur quod *scriptum* est, sed similitudine duntaxat colligitur. *Idem.*

<sup>3</sup> *Ex domo in jus.*] Cajus juriscôn-

sultus tit. *de in jus vocando*, ait non licere aliquem domo in jus rapere, propterea quod domus unicuique receptaculum est & refugium. si quis igitur id faciat, vim inferre videtur. *Idem.*

<sup>4</sup> *An quoties.*] Julianus juriscôn-sultus ait de singulis rebus non satis posse caveri legibus, quocirca si quid acciderit quod *lege* comprehensum non esse videatur, procedendum esse *similitudine* ad judicandum censet. *Idem.*

## C A P. IX.

### *De ambiguo, seu amphibolia.*

10 **A**mbibolia species sunt innumerabiles, <sup>1</sup> adeo, ut philosophorum quibusdam <sup>2</sup> nullum videatur esse verbum quod non plura significet: genera admodum pauca. <sup>3</sup> Aut enim

<sup>1</sup> *Deo ut philosoph.*] Chrysippus philosophus (ut scribit Gellius in Notis Atticis) nullum existimavit esse verbum quod in plures trahi intellectus possit. contra Diodorus cognomento *Cronus*, nullum existimavit esse verbum ambiguum. *Turneb.*

<sup>2</sup> *Nullum videatur esse verbum.*] *A. Gell. lib. xi. cap. 12.* Egesippus ait, om-

ne verbum ambiguum esse natura. *Pithæus.*

<sup>3</sup> *Aut enim vocibus.*] Boëtius apud Latinos hanc poni differentiam, ut *ambiguitatem* esse putet in verborum conjunctione, *homonymiam* vero, id est æquivocationem, in verbis singulis, tamen Fabius utranque rationem, *ambiguitatis* complectitur nomine. *Turneb.*

*I An*

enim vocibus accidit singulis, aut conjunctis. Singula afferunt errorem, cum pluribus rebus aut etiam hominibus eadem appellatio est: *ὁμωνυμία* dicitur, ut *Gallus*. Utrum enim avem, an gentem, an nomen, <sup>1</sup> an fortunam corporis significet, incertum est: & *Ajax*, *Telamonis*, an *Oilei filius*. Verba quoque quædam diversos intellectus habent, <sup>2</sup> ut *cerno*: quæ ambiguitas plurimis modis accidit: unde fere lites, præcipue ex testamentis, cum de libertate, aut etiam de hæreditate contendunt ii quibus idem nomen est: aut quid sit legatum, quæritur. Alterum est, in quo alia integro verbo significatio est, alia divisio: ut *in genua*, & *arma mentum*, & *cor vinum*, ineptæ fane cavillationes, ex quo tamen Græci controversias ducunt: <sup>3</sup> inde *ἀλληλεις* illa vulgata, cum quæritur, utrum <sup>4</sup> aula quæ ter ceciderit, aut tibicina si ceciderit, debeat publicari. <sup>5</sup> Tertia est ex compositis, ut si quis corpus suum in occulto loco poni jubeat, circaque monumentum multum agri ab hæredibus in tutelam cinerum, ut solet, leget, <sup>6</sup> *Sit latus occultum*. Sic apud Græcos contendit *λέων* & *παντελέων*, cum scriptura dubia est, bona omnia *λέοντι*, an bona *παντελέοντι* relicta sint. In conjunctis plus ambiguitatis est. Fit autem <sup>7</sup> per casus: ut,

<sup>8</sup> *Aio te Æacida Romanos vincere posse.*

Per

<sup>1</sup> *An fortunam corporis.*] Id ait propter *Gallos*, qui sunt *Cybeles* sacerdotes. his autem *Samia* testa execantur virilia. *Idem.*

<sup>2</sup> *Ut cerno.*] Cernere farinam, cernere bello, cernere hæreditatem. *Pithæus.*

<sup>3</sup> *Inde ἀλληλεις.*] Fingunt rhetores Græci hanc legem, *ἀλληλεις* si ceciderit, publicetur. *ambiguitas* est igitur, si enim integram accipias dictionem, de *tibicina* intelligitur: si autem divides, intelligitur de *aula* quæ ter ceciderit. *Turneb.*

<sup>4</sup> *Aula quæ ter ceciderit.*] Vide *Laertium* in vita *Zenonis*.

<sup>5</sup> *Tertia est.*] Species hæc à superiore

differt, quod in illa *simplices* dictiones dividuntur, hic autem vel *compositæ* dividuntur, vel certe componuntur. *Turneb.*

<sup>6</sup> *Sit latus occultum.*] Vel ex hoc loco apparet non robuste pronunciatas fuisse, ab antiquis *aspirationes*, atque adeo in scribendo vel ab illis omissas fuisse, vel tenui saltem apice in vertice fuisse notatas. nam alioqui non esset ambiguitas. *Idem.* *Sit latus occultum.*] Alii leg. *Sit latus occas*, *io cultum*. Vel *latus occasi cultum*. *Pith.*

<sup>7</sup> *Per casus.*] *Ennius* apud *Cic.* 2. de *Divinat.*

<sup>8</sup> *Aio te Æacida.*] Versus est *Ennius* de *Pyrrho Epirotarum rege*. scribit enim

Per collocationem, ubi dubium est quid quo referri oporteat: ac frequentissime cum id quod medium est, utrinque possit trahi, ut de Troilo <sup>1</sup> Virgilius,

*Lora tenens tamen ---*

Hic utrum quod teneat tamen lora, an quamvis teneat, tamen trahatur, quæri potest. Unde controversia illa, Testamento quidam iussit *poni statuam auream hastam tenentem*. Quæritur, statua hastam tenens aurea esse debeat, an hasta esse aurea in statua alterius materiæ. <sup>2</sup> Fit per flexum idem magis,

*Quinquaginta ubi erant centum inde occidit Achilles*. Sæpe utri duorum antecedentium sermo subiectus sit, in dubio est unde est controversia, *Hæres meus uxori meæ <sup>3</sup> dare damnas esto argenti, quod elegerit, pondo centum*. Uter eligat quæritur. Verum id quod ex his primum est, mutatione casuum: sequens, divisione verborum, aut translatione emendatur: tertium adjectione. Accusativi geminatione facta amphibolia, solvitur ablativo: ut illud, *Lachetem audivi percussisse Demeam, fiat. à Lachete percussum Demeam*. <sup>4</sup> Sed ablativo ipsi, ut in primo diximus, inest naturalis amphibolia,

--- *Cælo decurrit aperto*: utrum per apertum cælum, an cum cælum apertum esset. Divisio respiratione & mora constat. *Statuam deinde auream hastam*: vel statuam auream, deinde hastam: Adjectio talis est, argentum quod elegerit ipse, ut hæres intelligatur: vel ipsa, ut uxor. Adjectione facta amphibolia, qualis sit, <sup>5</sup> *Nos flentes illos deprehendi-*

*mus,*

enim Pyrrhum Ennius in Annalibus Apollinem consuluisse de belli eventu quod adversus Romanos erat gesturus, hocque responsum tulisse. Turneb.

<sup>1</sup> Virgilii.] Æneid. 1.

<sup>2</sup> Fit per flexum.] Flexum Fab. appellat ipsam vocis inclinationem & immutationem, quæ fieri solet in interpunctionibus membrorum & periodorum. Turneb.

<sup>3</sup> Dare damnas esto, &c.] Dicitio hæc *Damnâs* elegantissime usurpatur à jurisconsultis: cujus usus manavit à duode-

cim tabulis, quæ antiquis conscriptæ sunt verbis: est igitur, *damnatus sit*, & *cogatur*. Idem.

<sup>4</sup> Sed ablativo ipsi.] Multis accipitur modis *ablativo* apud Latinos. quocirca non defuerunt qui ob varietatem significationis ipsius *ablativi*, ponerent *septimum casum* & *octavum*. Vide Fab. cap. 7. lib. 1. Idem.

<sup>5</sup> Nos flentes.] Si enim detracta fuerit particula *Nos*, sublata fuerit ambiguitas. Idem.

1 Cicero.]

mus, detractioe solvetur. Pluribus verbis emendandum, ubi est id, quod quo referatur, dubium est, & ipsum est ambiguum. *Heres meus dare illi damnâs esto omnia sua.* In quod genus incidit <sup>1</sup> Cicero loquens de C. Fannii soceri instituto, Quem, quia cooptatus in Augurum collegium non erat, non admodum diligebat: præsertim cum ille Q. Scævola <sup>2</sup> sibi minorem natu generum prætulisset. Nam id *sibi*, & ad socerum referri, & ad Fannium potest. Productio quoque in scripto & correptio in dubio relicta, causa est ambiguitatis: ut in hoc, <sup>3</sup> *Cato.* aliud enim ostendit brevis secunda syllaba casu nominativo, aliud eadem syllaba producta casu dativo aut ablativo. Plurimæ præterea sunt aliæ species, quas persequi nihil necesse est. Nec refert quomodo facta sit amphibolia, aut quo resolvatur. Duas enim res significari manifestum est: & quod ad scriptum vocemve pertinet, in utranque par est partem. Ideoque frustra præcipitur, ut in hoc statu vocem ipsam ad nostram partem conemur vertere. <sup>4</sup> Nam si id fieri potest, amphibolia non est. Amphiboliæ autem omnis in his erit quæstio, aliquando uter sit secundum naturam magis sermo, semper utrum sit æquius, utrum is qui sic scripsit ac sic dixit, sic voluerit. Quarum in utranque partem satis ex his quæ de conjectura & qualitate diximus præceptum est.

## CAP.

<sup>1</sup> Cicero.] In Bruto.

<sup>2</sup> Sibi minorem, &c.] Budæus in commentariis lingua Græca hoc loco taxat Fabium, aitque & apud Græcos & apud Latinos non tam diligenter servari reciprocationis rationem, facileque in loco Ciceroniano sensum intelligi. Idem.

<sup>3</sup> Cato.] Nam Catus apud Romanos (ut docet Plutarchus) significat astutum & prudentem, quique multum rerum

usu & experientia valet. unde Catones dicti. Idem.

<sup>4</sup> Nam si id fieri potest.] Non est amphibolia, nisi par est in utranque partem sensus. qui igitur præcipiunt ut ostendamus in hoc statu dictionem duntaxat nostro convenire sensui, hoc ipso tollunt amphiboliam, id est, sensus geminationem. Idem.

## C A P. X.

*Quæ sit inter status cognatio, & qua diversitas.*

II **E**ST autem quædam inter hos status cognatio. Nam & in *finitione*, quæ sit voluntas nominis, quæritur: <sup>1</sup> & in *sylogismo*, qui secundus à *finitione* status est, spectatur quid voluerit scriptor: & ex contrariis legibus duos esse scripti & voluntatis status apparet. Rursus & *finitio* quodammodo est *ambibolia*, cum in duas partes diducatur intellectus nominis. Scriptum & voluntas habet in verbis vocis quæstionem: quod idem in antinomia petitur. <sup>2</sup> Ideoque omnia hæc quidam *scriptum* & *voluntatem* esse dixerunt: alii in scripto & voluntate *ambiboliam* esse quæ facit quæstionem. Sed distincta sunt. Aliud est enim obscurum jus, aliud ambiguum. <sup>3</sup> Igitur *finitio* in natura ipsa nominis quæstionem habet generalem, & quæ esse etiam citra complexum causæ possit: Scriptum & voluntas de eo disputat verbo, quod est in lege: *Sylogismus*, de eo quod non est. *Ambibolia* lis in diversum trahit: Legum contrariarum ex diverso pugna est. Neque immerito & recepta est à doctissimis hæc differentia, & apud plurimos ac prudentissimos durat. Et de hoc quidem genere <sup>4</sup> dispositionis, etiam si non omnia tradi, tamen aliqua potuerunt. Sunt alia, quæ nisi proposita de qua dicendum est materia, viam docendi non præbeant. <sup>5</sup> Non enim causæ universa in quæstiones ac locos

**H**Oc cap. de statuum legalium cognitione & diversitate scribit: deinde ad præcepta dispositionis revertitur, docetque potissimum dispositionem solis præceptis haberi non posse, sed natura, arte, & exercitatione. Turneb.

<sup>1</sup> Et in sylogismo.] Sylogismum secundum à finitione ponit (opinor) hac de causa, quia si finitionem obtinere non possumus, proximum est ut in sylogismum labamur, tanquam in secundum adjumentum. Idem.

<sup>2</sup> Ideoque omnia.] In hac esse videtur sententia Cicero libro secundo de Oratore. nam ambiguum subjicit qualitati, atque ab ambiguo pendere omnes quæstiones legitimas. Idem.

<sup>3</sup> Igitur finitio.] Fabius quoque docuit lib. 3. finitione nihil nisi in univertsum quæri & comprehendi. Idem.

<sup>4</sup> Dispositionis.] Alii, Disceptationis.

<sup>5</sup> Non enim causa.] Fabius hoc libro locutus est de locorum ac quæstionum divisione & dispositione, nec tamen satis est

locos diducenda est: sed hæ ipsæ partes habent rursus ordinem suum. Nam & in proœmio primum est aliquid, & secundum, ac deinceps. Et *quæstio* omnis ac locus habet suam dispositionem, ut theses etiam simplices. An sic forte satis erit dividendi peritus, qui controversiam in hæc diduxerit, *an omne præmium viro forti dandum sit, an ex privato, an nuptiæ, an ea quæ nupta sit, an hæc?* deinde cum fuerit de prima quæstione dicendum, passim, & ut quicque in mentem veniet, miscuerit? non primum in ea scierit esse tractandum: verbis legis standum sit, an voluntate? hujus ipsius particulæ aliquod initium fecerit? deinde proxima subnectens, struxerit orationem, *ut pars hominis est manus, ejus digiti, illorum quoque articuli?* <sup>2</sup> Est & hoc, quod scriptor demonstrare non possit, nisi certa, definitaque materia. Sed *quid una faciat, aut altera? quinimmo centum ac mille in re infinita, atque materia?* Præceptoris est, in alio atque alio genere quotidie ostendere quis ordo sit rerum, & quæ copulatio: ut paulatim fiat usus, & ad similia transitus. Tradi enim omnia quæ ars efficit, non possunt. Nam quis pictor omnia quæ in rerum natura sunt, adumbrare didicit? sed percepta simul imitandi ratione, assimilabit quicquid acceperit. Quis enim non faber vasculum aliquod quale nunquam viderat, facit? Quædam vero non docentium sunt, sed discendum. Nam & medicus quid in quoque valetudinis genere faciendum sit, quid quibus signis providendum docebit. Vim sentiendi pulsus venarum, caloris motus, spiritus meatum, coloris distantiam, quæ sua cujusque sunt ingenium dabit. Quare plurima petamus à nobis, & cum causis deliberemus, cogitemusque homines

ante

est complexus dispositionis præcepta, quia cum tractantur quæstiones ac loci, opus est alia rursus dispositione, quia satis scripto tradi non potest. *Turneb.*

<sup>1</sup> *An omne præmium.*] Hæc est *divisio* de qua locutus est *primo cap.* cum docebat descendendum nonnunquam à sum-

mo genere ad imam speciem. *Idem.*

<sup>2</sup> *Est & hoc.*] Docuit antea Fabius primo cap. bonam *dispositionis* partem præceptis non posse comprehendere, ut hæc quoque, pars de qua loquimur, in artem redigi non potest, sed maxime constat *natura & exercitatione.* *Idem.*

Nn

I 174

ante invenisse artem, quam docuisse. <sup>1</sup> Illa enim potentissima est, quæque vere dicitur *œconomica* totius causæ *dispositio*, quæ constitui nisi velut in re præsentis non potest: ubi assumendum proœmium, ubi omittendum: ubi utendum ex positione continua, ubi partita: ubi ab initiis incipiendum, ubi <sup>2</sup> more Homérico à mediis, vel ultimis: ubi omnino non exponendum: quando à nostris, quando ab adversariorum propositionibus incipiamus: quando à firmissimis probationibus, quando à levioribus: quando in causâ proponendæ proœmiis quæstiones, qua præparatione præmuniendæ, quid iudicis animus accipere possit statim dictum, quo paulatim deducendus: singulis, an universis opponenda refutatio: reservandi perorationi, an per totam orationem diffundendi affectus: de jure prius, an de æquitate dicendum: an antea acta crimina, an de quibus iudicium est, prius objicere vel diluere conveniat. Si multiplices causæ erunt, quis ordo faciendus, quæ testimonia, tabulæve cujusque generis in actione recitandæ, quæ reservandæ. Hæc est velut imperatoria virtus copias suas partientis ad casus præliorum, retinentis partes propter castella tuenda, custodiendasve urbes, petendos comineatus, obsidenda itinera, mari denique ac terra dividendis. Sed hæc in oratione præstat omnia, cui affuerint *natura, doctrina, studium. Quare nemo expectet, ut alieno tantum labore sit disertus. Vigilandum ducat, iterum enitendum, pallendum*: est facienda sua cuique vis, usus, sua ratio: non respiciendum ad hæc, sed in promptu habenda: nec tanquam tradita, sed tanquam innata.

<sup>1</sup> *Illâ enim.*] *Artificialis* est quædam *dispositio*, de qua antea fere semper Fabius. alia est quæ pendet à proprietate cujusque thematis, ideoque sæpe artificialem immutat dispositionem. hæc *œconomia* dicitur, sive *œconomica dispositio*, id est dispensatrix, cujus bona pars nullo modo comprehendi potest præceptis. *Idem.*

<sup>2</sup> *More Homérico.*] Poëtæ, ut docet Macrob. in *Saturnalibus*, solent sæpenu-mero à mediis incipere, deinde captata occasione, quod omissum est, inferere: ut Virgilius inceptit à *professione ex Sicilia*, Homerus *Odyssæam* inceptit à medio, nimirum à *navigatione Ulyssis ab Ogygia insula*: *Iliadem* vero ab ultimis inceptit, id est, à decimo anno belli Trojani. *Idem.*



innata. Nam viam demonstrare velociter ars potest, si qua est: verum ars satis præstat, si copias eloquentiæ ponit in medio, nostrum est uti eis scire. Reliqua partium est demum dispositio: & in his ipsis primus aliquis sensus, & secundus, & tertius: qui non modo ut sint ordine collocati, elaborandum est, sed ut inter se juncti, atque ita cohærentes, ne commissura pelluceat: corpus sit, non membra. Quod ita continget, si & quid in quoque conveniat viderimus, <sup>1</sup> & ut verba verbis applicemus, non pugnancia, sed quæ invicem complectantur. <sup>2</sup> Ita res diversæ distantibus ex locis quasi invicem ignotæ non collidentur, sed aliqua societate cum prioribus ac sequentibus se, copulaque tenebunt: ac videbitur non solum composita oratio, sed etiam continua. Verum longius fortasse progredior fallente transitu, & à dispositione ad elocutionis præcepta labor, quod proximus liber inchoabit.

<sup>1</sup> Et ut verba verbis applicemus.] Hoc loco Fab. etiam dispositionem ponit in verbis. debita enim verborum collocatio & junctura dispositione quadam constat. est hoc tamen magis elocutionis, ut paulo post Fabius significabit. Idem.

<sup>2</sup> Ita res.] Dan. Inferis non.

Na 2 Mc FAR.